CENSVRA CONFESSIONIS FIDEI,

Seu potius perfidiæ Caluinianæ,

Quæ nomine Cyrilli Patriarchæ Constantinopolitani edita circumfertur.

Auctore

IO. MATTHAEO CARYOPHILO

Archiepiscopo Iconiensi.



ROMAE,

Typis Sac. Congregationis de Propag. Fide.

M D C X X X I.

SVPERIORVM LICENTIA.



Imprimatur si placet Reuerendiss. P. M. Sac. Pal. Apost.

A. Episc. Bellicastren. Vicesg.

Imprimatur

F. Nicolaus Riccardius S. P. A. M. Ordinis Prædicatorum.








BEATISS. PATRI

VRBANO VIII.

P. O. M.





N triplex funiculus, Beatissime Pater; impietatis Caluinianæ; fraudis, siqua latet, Cyrillianæ; & calumniæ in Græcos plus quam inhumanæ. Putarunt homines impij, funiculum hunc triplicem tam arctis, tam perplexis connexum Herculeis nodis, vt nulla vi, nulla cuiusuis industria rumpi posset. Tuis tamen auspicijs summe Pontifex Vrbane VIII. gladio spiritus rumpi potuit funiculus peccatorum. Nam sicut olim propugnator fidei Cy-

rillus Alexandrinus, vt Nestorij funiculum rumperet, ad Cælestinum confugit summæ Sedis Episcopum; ita nunc vt triplex Cyrilliani nominis rumperetur funiculus, pietatis, auctoritatis, imperij tui fuit. Faxit omnipotens Deus, vt iam ruptus primus funiculus non amplius trahat; alter amplius non trahatur; tertius à quo trahendus est, trahi se patiatur; & spectet attractus ad hæreditatis Dei funiculum.

S. T.

Humillimus seruus
Io. Matthæus Archiep. Iconiensis.

Funiculos nectit plectenda ad crimina Christus,
Funiculos nectit, fallat vt hæreticus.
Quid facit hæreticus, dum lucis abutitur armis,
Vertere quàm lucem nititur in tenebras?

7. 148

CENSVRA CONFESSIONIS FIDEI,

Seu potius perfidiæ Caluinianæ:

Quæ nomine Cyrilli Patriarchæ Constantinopolitani edita circumfertur.

CONFESSIO.

CYrillus Patriarcha Constantinopolitanus sciscitantibus intelligere de Religione Ecclesiæ Orientalis, id est Græcæ; Quid credamus videlicet, quid ve sentiamus de Articulis orthodoxæ fidei; nomine omnium Christianorum communiter exponit breuem istam Confessionem; Vt sit in testimonium coram Deo & tota Ecclesia, sine simulatione, sed bona conscientia.

rillus Alexandrinus, vt Nestorij funiculum rumperet, ad Cælestinum confugit summæ Sedis Episcopum; ita nunc vt triplex Cyrilliani nominis rumperetur funiculus, pietatis, auctoritatis, imperij tui fuit. Faxit omnipotens Deus, vt iam ruptus primus funiculus non amplius trahat; alter amplius non trahatur; tertius à quo trahendus est, trahi se patiatur; & spectet attractus ad hæreditatis Dei funiculum.

S. T.

Humillimus seruus
Io. Matthæus Archiep. Iconiensis.

Funiculos nectit plectenda ad crimina Christus;
Funiculos nectit, fallat vt hæreticus.
Quid facit hæreticus, dum lucis abutitur armis,
Vertere quàm lucem nititur in tenebras?

7. 148

CENSVRA CONFESSIONIS FIDEI,

Seu potius perfidiæ Caluinianæ.

Quæ nomine Cyrilli Patriarchæ Constantinopolitani edita circumfertur.

CONFESSIO.

Cyrillus Patriarcha Constantinopolitanus sciscitantibus intelligere de Religione Ecclesiæ Orientalis, idest Græca; Quid credamus videlicet, quid ve sentiamus de Articulis orthodoxæ fidei; nomine omnium Christianorum communiter exponit breuem istam Confessionem; Vt sit in testimonium coram Deo & tota Ecclesia, sine simulatione, sed bona conscientia.

CENSVRA.

QVid est, sine simulatione? Quid magis simulatum, quid magis fictum? In hac Confessione, seu potius confusione fidei Cyrillus omnino videtur esse κωφὸν πρόσωπον. Quod si succentor ipse est, non præcentor; certè etiam illud omnino quadrabit; Vox quidem vox Iacob est, sed manus manus sunt Esau. Quis credat, Confessionis huius voces esse Cyrilli, cum in primo eius Articulo auctor fateatur, Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium: quod Nestorius huius Catholicæ veritatis primus oppugnator, & Theodoretus in hac materia Nestorij propugnator, idem esse voluerunt, quod ex Patre & Filio: Id verò Cyrillus hodie Patriarcha Constantinopolitanus pertinacissimè negauerit: vt constabit ex infra positis ad finem eius Anathematismis?

Deinde, sciscitantibus, inquit, de Religione Orientalis Ecclesiæ, idest Græcæ. Quid monstri hoc? Quo tempore, quo loco, quis vnquam Græcorum sensit, dixit, scripsit meras nugas, mera figmenta xj. huius Confessionis Articulorum, vt singillatim patebit?

Addit etiam, nomine Christianorum omnium expositam esse hanc Confessionem. Quis ita scribit? quis tantum audet? Ergo Christianus idem erit quod Caluinista? aut Caluinistæ digni erunt, qui vocentur Christiani? cum sanctus Athanasius Orientalis Ecclesiæ lumen, omnino neget, Hæreticos dici posse Christianos. Hæretica hæc vaniloquia, cum sint à sensu & traditionibus Ecclesiæ Græcorum alienissima, esse Græci Patriarchæ Confessionem, non græcæ leuitatis, sed perfidæ proditionis crimen esset & parricidium.

ARTICVLVS II.

CRedimus Scripturam esse θεοδίδακτον, & habere auctorem Spiritum sanctum, non aliam,

alium; cui habere debemus fidem indubitatam. Scriptum enim est; Habemus firmiorem propheticum sermonem; cui bene facitis attendere, quasi lucernæ splendenti in caliginoso loco. Preterea eius auctoritatem esse superiorem Ecclesiæ auctoritate. Nimis enim differens est, loqui Spiritum sanctum, & linguam humanam; cum ista possit per ignorantiam errare, fallere & falli. Scriptura verò diuina, nec fallitur, nec errare potest, sed est infallibilis semper & certa.

CENSVRA.

NOn Græci, sed hæretici Iconomachi ad eundem modum garriebant. Voces porrò sancti Petri ita excipere, vt exponit auctor articuli, summæ ignorantiæ, summæ est impietatis. Scribebat Princeps Apostolorum, quippe vt proprius Circumcisionis Apostolus, aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, & cæteris adhuc iudaizantibus. Quibus propterea etiam dicit: Donec lucifer oriatur in cordibus vestris: hoc est, donec perfecte amplectamini Christianismum. Adhuc ergo iudaizantibus scribens, firmiorem esse dixit sermonem propheticum, illis nimirum, quibus Petri voces non videbantur comparandæ cum vocibus Prophetarum. Alioquin Coryphæus probe norat, sermonem Pauli, cuius epistolas fatetur esse partem scripturæ ad finem secundæ suæ epistolæ; non esse suo firmiorem; cum & Paulus scriberet; licet Angelus è cælo euangelizet vobis præterquam quod Euangelizauimus vobis, Anathema sit.

Itaque ex Petri vocibus perperam intellectis inferre, Auctoritatem Scripturæ esse superiorem auctoritate Eccle-

siæ,

siæ, cum & Apostoli ad Ecclesiam spectent, est scripta Apostolorum extra Scripturam ponere. Ex quo sequitur, Nec sacrosanctum Euangelium pertinere ad sacram scripturam: fuit enim scriptum per Apostolos & Apostolorum discipulos. Quis verò apud Græcos dicere hoc audeat, & non vt diabolus euitetur?

Prima igitur huius Articuli intolerabilis est impietas, distinguere auctoritatem Scripturæ ab auctoritate Scriptorum Apostolicorum.

Secunda impietas; ponere auctoritatem Scripturæ indubitatam, auctoritatem verò Ecclesiæ dubiam; quia illa est à Spiritu sancto, hæc à lingua humana.

Hæc enim assertio satanica falsitatis arguit verba Christi: Et ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus vsq. ad cõsummationem sæculi. Matth. vlt. Vbi Chrysost. Non tantum, inquit, ad Apostolos hoc dictum est, sed ad omnes etiam, qui post illos erant credituri: loquitur enim cum fidelibus quasi cũ vno corpore. Rursus aiebat Dominus; Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, Io. 14. 16. 26. Et infra Paraclitus autem Spiritus sanctus ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia. Vbi Chrysostomus; Significatur, inquit, per hoc, Spiritum sanctum nunquam recessurum.

Si ergo Caluinistis verba & promissa Christi certa sunt: necesse est vt fateantur, eundem Spiritum qui locutus est per Prophetas, locutum esse & loqui per Ecclesiam. Ergo eadem auctoritate, eadem certitudine, eadem infallibilitate. Et differentia, quam ponunt Caluinistæ, Christum faceret non veracem: quo quid magis impium, quid magis absurdum?

Ita Cyrillus Alexandrinus in Conc gen. iij. p. 3. c. 34. scribens ad Ioannem Antiochenum: Non patimur, aiebat, conuelli à quoquam definitã à sanctis Patribus fidem, hoc est fidei Symbolum. Non enim erant illi qui loquebantur, sed ipse sanctus Spiritus. Hæc est doctrina sanctorum Patrum Orientalium, hæc fides generalium Conciliorum: non vt distinguerent procacitate hæretica duplex genus aucto-

ritatis

ritatis; & sponsæ Christi Ecclesiæ tribuerent posse per ignorantiam errare, fallere & falli; cum hæc necessariò redundent in iniuriam Spiritus sancti.

Tertia impietas in hoc Articulo est; Quòd celebratis tot generalibus Concilijs Ecclesiæ munus semper fuit, esse interpretem ortas de fide controuersias dirimentem. At si per Caluinistas posset errare, falsum dixisset Apostolus Timot. scribens c.3.15. Ecclesiā esse columnam & firmamentū veritatis. Ita gener. quoq. vij. Synodus Act.6.to.2. contra Iconomachos aiebat: Ecclesiam esse, de qua dictum in Canticis c.4.6. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. & ab Isaia c.49. In manu meā depinxi muros tuos, & in conspectu meo es semper.

Quarta impietas est; Quod è perfidia Caluinistarum sequeretur; sacram Scripturam, idest libros Canonicos, qui verbum Dei continent, esse incertos. Si enim Ecclesia proposuit fidelibus auctoritatem horum librorum, potens ipsa per ignorantiam fallere & falli, non sumus ergo in hac propositione certi. En diaboli machinas ore Caluinistarum constructas. Absit, vt hos tartarei Draconis sibilos agnouerit vnquam Orientalis Ecclesia.

ARTICVLVS VIII.

Credimus dominum nostrum Iesum Christum sedere in dextra Patris, ibique pro nobis interpellare & intercedere, solum officio fungentem veri & legitimi Pontificis & mediatoris; indeque solum curam gerere suorum, & præesse Ecclesiæ, ipsam varijs benedictionibus ornando & fœcundando.

CENSVRA.

QVid iuuat Caluinistas excitare sopitos Iconomachorum cineres? Si tamen ita illos iuuat, vt magis ad impietatem proficiant; cur falso, perque summam calumniam fingũt sociam impietatis suæ Græcorum Ecclesiam? Quæ sane vt septimæ Synodo addictissima intercessiones Sanctorum toto animo, studiosissime & ardentissime amplexatur, veneratur, & colit; edocta ab incunabulis ita sentire & credere & seruare per traditiones Apostolorum; quas illi rursus proposuit contra Iconomachorum rabiem sancta generalis vij. Synodus? Vnum agnoscunt Græci mediatorem Dei & hominum, vtpote suo sanguine Redemptorem & reconcillatorem Christum Iesum: Intercessores autem & mediatores tanquam Dei amicos, beneficiorumque impetratores à Christo sanctos omnes agnoscunt cum vniuersa Catholica Ecclesia, ex doctrina & testimonio de vetustissimis traditionibus S. Generalis vij. Synodi. Proinde Orientalis Ecclesia in suis quotidianis omnium horarum officijs, supplicationibus, Canticis nihil magis in ore habet. Nam quinto quoque verbo Beatissimam inuocat Virginem. & singulis diebus Sanctorum memorias celebrans rogat quotidie, vt sancti suis apud Deum intercessionibus opem ferant, auxilio sint, à periculis eruant, peccatorum veniam impetrent, & salutem hominibus petant. Recudendi essent Græci, vt possent cum Caluinistis desipere.

ARTICVLVS. IX.

CRedimus, sine fide neminem posse saluari. Fidem autem eam vocamus, quæ est in Christo Iesu iustificans; quam vita & mors Christi Domini peperit, Euangelium prædicat, & sine qua nemo potest placere Deo.

CEN-

CENSVRA.

AT ſanam verborum formam aliter nos docet Apoſtolus Rom. 4. Non eſt autem, inquit, ſcriptum tantum propter ipſum (Abraham) quia reputatum eſt illi ad iuſtitiam, ſed & propter nos; quibus reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum dominum noſtrum à mortuis. Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Iuſtificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum.

Quod exponens Chryſoſtomus; Nequis, inquit, exiſtimet, quæ de fide Apoſtolus dixit, eſſe occaſionem ſocordiæ; Pacem, inquit, habeamus; hoc eſt, amplius non peccemus, neque ad priora redeamus; Hoc enim eſt bellum gerere cum Deo. Ergo fides in Deum iuxta doctrinam Apoſtoli iuſtificat non amplius peccando. Siquidem ex eodem Apoſtolo v. ad Galatas: In Chriſto Ieſu nihil valet, niſi fides, quæ per charitatem operatur.

Non eſt igitur fides iuſtificans in Chriſto, vt Caluiniſtæ ſomniant; ſed eſt in nobis iuſtificans à Chriſto, ſi per charitatem operetur. Et Græci doctrinam ſequuntur Chryſoſtomi, qui paſſim hoc docet: vt etiam in illud I. Timot. Vt quietam vitam agamus in omni pietate. In omni pietate, ait; quia non ſolum vera fides requiritur, ſed vita etiam inculpata. Pietas enim in vtroque conſiſtit. Et in illud Matthæi xvj. Siquis vult venire poſt me, abneget ſemet ipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.

Etiam, inquit, qui ſequuntur diabolum, multa tolerant. At nos Chriſtum ſequi, & perpetuo crucem noſtram ferre debemus. Ita per fidem iuſtificari homines docent ſancti Orientales; non extrinſeca Chriſti iuſtitia, ſed intrinſeca & inhærente nobis, ſi ſuam quiſque crucem tollat, & ſequatur operibus Chriſtum.

AR-

ARTICVLVS X.

Credimus Ecclesiam, quæ vocatur Catholica, fideles in Christo continere vniuersaliter, qui vel defuncti in patria sunt, vel adhuc in via peregrinantur. Cuius Ecclesiæ caput quia homo mortalis esse nulla ratione potest, ipse dominus noster Iesus Christus solus caput est; ipseque clauum totius regiminis Ecclesiæ in manu tenet. Sed quoniam in via particulares Ecclesiæ visibiles sunt, & in ordine vnaquæque habet vnum primum, ipsum non esse propriè vocandum caput particularis illius Ecclesiæ, sed impropriè. Et hoc, quia in ipsa membrum est principale.

CENSVRA.

Tres mira calliditate strophas amplectitur hic Articulus.

Prima est; Ecclesiam, quæ vocatur Catholica, continere vniuersaliter fideles defunctos in patria, & adhuc peregrinantes in via.

Secunda, Quòd inde sequatur, Huiusmodi Ecclesiæ caput esse non posse mortalem hominem, sed solum Christum.

Tertia, Quòd inde etiam sequatur, particularium Ecclesiarum capita verè non esse capita, sed principalia membra.

Ita Caluinistæ positis à se vel confictis, vel male intellectis funda-

fundamentis, machinas construunt nullo innixas fundamento. In prima autem stropha adeo procaces sunt, vt generalitatem significationis Ecclesiæ vsurpent ad hoc vt subdole vel Saluatoris ipsius sententiæ aduersentur. Liquet enim Ecclesiam Catholicam, cui Christus præfecit visibile caput, non aliam esse, quam eam, de qua dixit; Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Matt. 16. 18. Quam etiā Ioan. vlt. vocauit agnos & oues à Petro pascendas. Si igitur Ecclesia à Christo ædificata fundamentum habet Petrum, & nullis oppugnationibus expugnatur, & pastorem habet Petrum Christi vicariū, quomodo hæc in cælestis patriæ ciues quadrent; qui nec fideles sunt, quia non vident iam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem: nec vlla certamina sustinent; nec pascuntur amplius à Petro, siue à successore eius? Cur hæc omnia confundunt Caluinistæ, quæ distincta sunt; differuntque vt motus à termino; exilium à patria, felicitas à miserijs, nisi vt primatus Petri negetur? Chrysostomus sermone in illud; Astitit Regina à dextris tuis; Ecclesiæ titulos & prærogatiuas describens: Eam, inquit, cum fornicaria esset, adamatam fuisse à Christo, & ab eo conuersam in virginem. Et Christum amore captum non in cælum eam transtulisse, sed ipsum ad eam descendisse in terram. Ecclesia igitur, quæ Catholica vocatur & Apostolica, quæ de fornicaria facta est virgo, in terra, non in cælo est. Estque propriè catholica, quia locorum & temporum vniuersitatem amplectitur; & fide ambulat, & peregrinatur, & pugnat. Triūphans verò in patria vnam cælestem constituit Hierusalem, non locis, non temporibus variantem; quæ non bellis vexatur, sed coronata triumphat.

Altera impietatis stropha est; Quòd mortalis homo non possit esse caput huiusmodi Ecclesiæ. Sed quis apertam non perspicit vafritiem? Nimirum Ecclesiæ conflatæ ex immortalibus & mortalibus non potest esse caput mortalis homo. Atqui talis Ecclesia non ea est, cui visibile caput Christus præfecit. Ita in tertia generali Synodo Philippus presbyter sedis Apostolicæ legatus applaudēte vniuersa

sa Synodo vocabat mortalem tunc hominem Cælestinum. 1/ caput omnium Synodi Episcoporum. Ita generalis Quarta Synodus sanctum Leonem magnum mortalem agnoscebat hominem; cum tamen in sua epistola caput suum fatebatur & venerabatur, disertissimis verbis ter repetito eo titulo. Quot vero locis Orientalis Ecclesiæ Patres hoc idem professi fuerint, aut alijs vocibus idem plane significantibus expresserint, appellando Papam apicem, summitatem, verticem Ecclesiæ, quis enumeret? Certè apud Orientales fuit etiam hæresis Acephalorum, pars Monophysitarum. Ex eo dicta, quod hæretici illi essent sine episcopali capite. Si ergo tales Acephali sunt; Ecclesiarum ergo, quibus præsunt Episcopi, capita Episcopi sunt. Cumque capiti respondeat corpus, & particularis cuiusque Ecclesiæ fatendum est proprium caput; omnino etiam fatendum est, vniuersali quoque corpori respondere caput vniuersale. Alioquin esse Acephalum in particularibus Ecclesiarum corporibus esset monstrosum, in generali non esset. At hoc quis sana mente capiat? Cum præsertim Apostolus scripserit ad Corinthios 1. cap. 12. 20. Multa quidem membra, vnum autem corpus; in quo vult esse & caput, & oculos, & manus, & pedes.

Tertia impietatis stropha ex iam dictis refellitur: Quod particularium Ecclesiarum Episcopi non propriè, sed impropriè sint capita. Quid sibi vult illud, propriè & impropriè? An vero suarum Ecclesiarum Episcopi non sunt proprie capita, sed propriè sunt membra principalia? Siue capita dicas, siue membra principalia, tropus est Analogiæ; & fatendum est, vel vtrumque dici impropriè, vel eadem proprietate vtrumque. Cæterum cui suadebunt Caluinistæ, has nænias esse Cyrilli? Particulares Episcopos esse verè capita neget Cyrillus, qui se, dum Alexandrinus esset, inscribebat Papam & Patriarcham, & iudicem orbis terrarum? Et nunc in sede Constantinopolitana pessimo Prædecessorum exemplo titulum sibi arrogat œcumenici contra sanctionem Euangelicam, & Sanctorum exempla Patriarcharum? Ineptissimè suas obtegunt futilitates Caluinistæ.

tinistæ. Nam in priori ad Corinthios c. 12. 13. concedit Apostolus rationem capitis in illo suo analogiæ discursu. Etenim, inquit, in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus. Non potest oculus dicere manui, ope tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarij. Sane ex his Apostoli verbis constat, Imaginem corporis naturalis ad corpus mysticum eo tendere; vt sicut proportione respōdet corpus corpori, & membra membris; ita proportione sint in Ecclesijs, qui vicē oculorū obtineāt, & qui manuum; alij pedū, alij capitis in particulari corpore particularis, in vniuersali vniuersalis. Nec est rationi consonum, vt admittamus in mystico corpore ex Apostoli analogia oculos, & manus, & pedes ea dici proprietate, quam fert proportionis ratio; negemus verò caput propriè dici, sed dicendum velimus principale membrum; dum principale membrum vel idem sit quod caput; vel si aliud membrum significat, neget esse caput in mystico corpore contra discursum Apostoli. Itaque triplici impietate Articulus x. Primo confundit versute Hierarchias, cælestem & Ecclesiasticam, contra doctrinam Areopagitæ. Secundò tollit vnitatem vniuersalis Ecclesiæ sub vno capite. Tertio particulares omnes Ecclesias facit Acephalas; ex quibus per Caluinistas tollitur omnis Hierarchia Ecclesiastica.

ARTICVLVS XI.

CRedimus membra Ecclesiæ Catholicæ esse sanctos ad vitam æternam electos; A quorum consortio excludi hypocritas, quamuis in particularibus Ecclesijs mixta cum tritico palea inueniantur.

CENSVRA.

EX his Caluinistarum fabulis sequeretur, Iudam, quia non erat ad vitam æternam electus, non fuisse vnum è Collegio Apostolorum. Et Iulianum Apostatam nunquam fuisse Christianum, quia non erat ad vitam electus. Vnde venena hæc hauserunt Caluinistæ? Nimirum è permixtione illa Christianorum in via & in patria talis oritur per illos Ecclesiæ vnitas, quæ nō admittit in mēbra Ecclesiæ peccatores, sed tantum sanctos, contra veram & institutam à Christo in terris catholicæ Ecclesiæ vnitatem. Cur ergo Græci, cum se velint esse membra Ecclesiæ, peccatores tamen se se fatentur; nullumque hymnum, nullum Canticum adhibent, quin peccatorum veniam petant?

Cur sancti Orientales in peccata enormia lapsos non eijciebant ab Ecclesia; sed quatuor illis pœnitentiæ loca assignabant, donec vera pœnitentia dignas pro criminibus admissis pœnas exoluerent? Quid commune huic œconomiæ sanctorum, & impiæ assertioni Caluinistarum?

Ex ea enim primo sequitur, Ecclesiam esse prorsus incognitam; quia certum non est, qui sint ad vitam electi.

Sequitur, quia multi sunt pro præsenti statu sancti, qui tamen ad vitam æternam non sunt electi; tales esse sanctos, nec tamen esse membra Ecclesiæ.

Tertio sequitur; Eosdem homines, cum sæpe ad peccata labantur, & in eo statu sancti non sint; rursus agendo pœnitentiam resurgant; eosdem modo spectare ad Ecclesiam, modo non spectare.

Denique cum addunt; Quamuis in particularibus Ecclesijs mixtæ cum tritico paleæ inueniantur; egregie sibi contradicunt. Nam ex particularibus paleis & particulari tritico fit particularis Ecclesia: & è particularibus Ecclesijs constat vniuersalis: Vt verum sit, ex tritico & paleis constare vniuersalem Ecclesiam: Et verissimum sit, & sanctos & non sanctos Christianos esse membra Ecclesiæ.

Præ-

Præterea iste Caluinistarum Articulus pugnat omnino cum illa Christi sententia; Matt. 20. 16. Multi sunt vocati, pauci verò electi. Vox enim, Ecclesia, conuocationem significat. Dixit ergo Christus, multos esse membra Ecclesiæ, sed paucos ad vitam electos; vt exponit ibi Chrysostomus. En quo deuenit impietas hæreticorum, vt diuinis quoque sententijs pertinacissimè obluctentur.

Illud quoque mirum, cur solos hypocritas ex omni numero peccatorum excludant è consortio Christianorum. Sicut enim salua fide possunt esse in homine peccata mortifera, ita quoque fictæ sanctimoniæ affectatio. Si verò hypocritas intelligunt in fide; non ipsi solum, sed omnes quilibet infideles extra Ecclesiam sunt.

ARTICVLVS XII.

Credimus Spiritu sancto sanctificari & doceri Ecclesiam in via; ipse enim est verus Paraclitus, quem mittit Christus à Patre, vt doceat veritatem, tenebrasque excutiat à mentibus fidelium. Certum enim est, quòd Ecclesia in via errare potest falsum pro vero eligendo. à quo errore solius Spiritus sancti lumen & doctrina nos liberat, non mortalis hominis. Quamuis mediante opera ministrantium Ecclesiæ hoc possit fieri.

CENSVRA.

QVomodo cohærent hæc duo; Ecclesiã doceri à Spiritu sancto: &, Certum esse, Ecclesiam posse errare? Rursus, Lumine solius Spiritus ab errore nos liberari;

berari; & , liberari nos mediante opera ministrantium ? Quis ille erit, qui cum sit Ecclesiæ pars, non possit per Caluinistas errare cum ipsa Ecclesia? Quis ille sit, de quo possimus dicere; Hic tollit à nobis errorem, quia docetur à Spiritu sancto? Vos, inquit Apostolus 1. Cor. 12. 27. estis corpus Christi, & membra de membro. Si Ecclesia est Christi corpus, impossibile est Ecclesiã posse errare. Corpus enim Christi posse errare, est Christum posse errare: sicut corpus cœci hominis posse errare, est totum cœcum hominem posse errare. Errare posse Dei Ecclesiam antiqua fuit furentis Arij, iudaizantis Nestorij, latrantium Iconomachorum blasphemia; grauiore nunc crimine ab inferis per Caluinistas excitata.

At Ecclesiæ principes Apostoli in suo symbolo, quod ante 1. generale Concilium exposuerat secunda sua epistola sanctus Alexander Alexandrinus Episc. in frag. Conc. 1. tradiderunt nobis, quid credamus de Ecclesia in hæc verba: Sanctam Ecclesiam Catholicam. Quod postea S. Generalis 2. Synodus explanans dixit: Vnam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam: Quid verò intellexerint Apostoli per sanctam Ecclesiã, indicant articulis subsequentibus; Sanctorum communionem, Remissionem peccatorum. Nam si Ecclesia sancta est, & in ea tamen est non solum communio sanctorum, sed etiam remissio peccatorum: ergo cum in ea non desint, qui remissione indigeant peccatorum; sanctitas eius ad veritatem & puritatem Catholicæ fidei spectat, propter quam vniuersaliter sancta est, licet non omnia eius membra sint sancta sine crimine.

At sanctitas omnis, vt sancti Patres docent cum Basilio magno in libro de Spiritu sancto ad Amphilochium, à Spiritu sancto est. Ergo impossibile est, Ecclesiam esse sanctam veritate fidei non illuminante eam Spiritu sancto.

Rursus impossibile est illuminationem hanc à Spiritu sancto fluere in Ecclesiam, nisi eo modo, quo Christus instituit? Instituit autem ille constituens Petrum Ecclesiasticæ hierarchiæ pastorem, dicensque illi Luc. 22. 32. Rogaui pro

ui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Si ergo pastorale officium, Petri est principaliter indeficientis fidei magisterium; modus à Christo institutus est, vt mortalem hominem Spiritus sanctus illuminet, & per Petrum Petriq. successores ita perpetuo illuminetur Ecclesia, vt impossibile sit illam errare: sicut impossibile esset perire nauim, quæ ad gubernacula sua sedentem haberet artem ipsam gubernandi.

Blasphemant ergo Caluinistæ dum asserunt, Ecclesiam posse errare; cum repugnet, esse Ecclesiam, idest domum Dei, & posse illam errare.

Blasphemant, negando per mortalem hominem debere illam illuminari. mortalis quippe homo, Petri successor, illuminare debet Ecclesiam, non vt mortalis homo, sed vt Vicarius Christi, & instrumentum Spiritus sancti; & hoc ex institutione Christi.

ARTICVLVS. XIII.

Credimus hominem iustificari per fidem, non ex operibus. Cum autem dicimus, per fidem, intelligimus fidei correlatiuum, quod est iustitia Christi; quam fides apprehendit, nobisque applicat ad salutem. Hoc autem opinione, sineque operum præiudicio stare cognoscimus. Nam & opera non esse negligenda, esseque media necessaria, & fidei nostræ testimonia ad vocationis nostræ confirmationem, veritas ipsa nos docet. Ipsa vero per se esse sufficientia hominem saluare, in Tribunalique Christi comparere posse, vt ex condigno salutem

tem

tem retribuant; hoc esse falsum testatur humana fragilitas. At Christi iustitia applicata resipiscentibus, sola iustificat, atque saluat fidelem.

CENSVRA.

IGnorantes, vt inquit Apostolus Rom. 10. 3. iustitiam Dei Caluinistæ, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Si per fidem iustificatur homo, non ex operibus; ergo contra, Quod facit hominem iniustum, erit vna infidelitas; Alia verò peccatorum genera non facient per se hominem iniustum; sed erunt testimonia infidelitatis; nec erunt per se sufficientia ad damnandum hominem in Tribunali Christi.

At hoc est contra doctrinam Apost. 1. ad Cor. 6. An nescitis, inquit, quia iniqui Regnum Dei non possidebunt? Neq; fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei possidebunt. Vbi Chrysostomus: Turbam, inquit, hominum iniquorum adducit in medium. Multi enim erant affirmantes, Deum vtpote misericordem non punire peccata. Apostolus verò, inquit, errorem esse hunc ait maximum. Si ergo error est maximus opinari, Peccata præter infidelitatem nō esse per se ipsa damnabilia in tribunali Christi, & non constituere per se hominem iniustum: error quoque maximus erit asserere, Bona iusti opera esse solum à fide, non per se ipsa meritoria; & per se non constituere hominem iustum. Hoc est, quod sancti Patres vbique docent: fidem non sufficere, nisi eam quæ per charitatem operatur.

Fides verò, quæ per charitatem operatur ab Apostolo

Galat.

Galat.5.6. ἐνεργουμένη vocatur. Quæ vox ita significat, fidem ad iustificandum se habere passiuè, sicut passiuè se habent Energumeni ad exercendos motus. Ex quo manifestum est per doctrinam & modum loquendi Apostoli; fidem eatenus iustificare, quatenus à charitate mouente applicatur ad operandum. Sic enim homo fidem habens & bona opera fit iustus; & iustitia tribuitur charitati vt mouenti, fidei vt motæ: siquidem fides energumena iustificat. Quod alijs verbis expressit Iacobus Apost.c.2.18.20.21.dicens; Fides sine operibus mortua est. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est. Falsissima ergo est Caluinistarum assertio; Iustificari hominem per fidem, non ex operibus.

Altera huius articuli hæresis est; Quòd per fidem intelligatur fidei correlatiuum, idest iustitia Christi; quam fides apprehendit, nobisque applicat ad salutem. At per fidem intelligi fidei correlatiuum, est per oculum intelligi solem. Ita vt qui dicit se habere oculum, dicat se habere solem. Sed hoc est omnino sensum non habere.

Rursus quod aiunt; fidem apprehendere, nobisque applicare: magnæ est ignorantiæ, magnæque impietatis. Siquidem apprehendere ad intellectum, applicare spectat ad voluntatem. Applicare enim sibi est, velle & adaptare sibi illud bonum, quod ad nostram salutem operatus est Christus. Quod si homo consequeretur salutem applicando sibi per actum fidei iustitiam Christi, superflua plane esset institutio sacramentorum: tota enim efficacia illorum est in applicanda nobis virtute passionis Christi.

Rursus huic positioni Caluinistarum obijceret Chrysostomus 1. Cor.15.29. quod obiecit Marcionistis. Illi enim, inquit, mortuis supponentes viuos, mortuorum loco baptizabant viuos. At hoc pacto, inquit Chrysostomus, liceret baptizare omnes infideles. Eodem modo per assertionem Caluinistarum liceret apprehensamChristi iustitiam omnibus applicari.

Verum deliria hæc esse docet Apostolus Galat.3.27. dum ait:

ait ; Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Et Rom. 13. 12. 14. Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Et, Induimini dominum Iesum Christum.

Si enim Christus in iustificatione sit indumentum; idest Christi gratia & omnis virtus, vt exponit Chrysostomus; certum est, extrinsecã hanc Caluinistarum iustificationem esse meras nugas. Indumentum enim, & quod instar indumenti est, tale non est, nisi adhæreat, & vestiat indutum.

Tertia in hoc Articulo hæresis est. Quod opera sint necessaria vt fidei testimonia ad confirmationem nostræ vocationis: Per se autem opera non esse sufficientia ad saluandum hominem in tribunali Christi.

At Dominus in Euangelio Io. 15. 2. Omnem, inquit, palmitem in me non ferentem fructum tollet Pater. Vbi Chrysostomus; fructum, inquit, idest vitæ institutum. Ostendit enim, inquit, fieri non posse, vt sine operibus sit quis in ipso. Et Apostolus ad Philippenses c. 1. 11. Vt sitis, inquit, sinceri, & sine offensa in diem Christi, repleti fructibus iustitiæ per Iesum Christum. hoc est, inquit Chrysostomus; cum dogmatibus rectam quoque habeatis vitam. At esse homines fructibus iustitiæ repletos, non est esse applicatam illis iustitiam non suam. Et quia fructus iustitiæ sunt nō Dogmata, sed opera; necessariò falsum est, Requiri opera vt fidei testimonia, veluti quid secundarium. Requiruntur enim iuxta voces Domini, & sententiam Apostoli vt finis, vt quid primarium & vltima perfectio; vt fides sit propter opera, non opera propter fidem.

Rursus Apostolus in 2. ad Corinthios: Omnes, inquit, nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq. (nō vt credidit) quæ per corpus gessit, siue bonū, siue malum. Opera ergo, quæ quisque gessit, examinanda sunt, non fides. Sine charitate enim, inquit Basilius in tractatu de Baptismate, inutilis est ipse etiam sublimissimus fidei

fidei actus. At qui examinantur, vt vel absoluantur, vel damnentur, non testes, sed rei sunt. Est ergo Assertio impia, tribuere operibus vim tantum testimoniorum fidei. Assertio similiter impia est; opera quæ in Deo facta sunt, supposita Dei promissione, non esse per se sufficientia ad comparendum in tribunali Christi, vt salutem ex condigno mereantur, quia fragilitas humana falsum hoc esse testetur: Cum Apostolus dicat 2. Cor. 4. 17. Quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Vbi Chrysostomus de valore operum humanæ fragilitatis integrum instituit moralem sermonem, & Apostoli voces expendit luculentissimè.

Sicut etiam exponens illud 2. ad Tim. 4. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Iustitiæ, inquit, idest omnis virtutis. Et illud, fidem seruaui, exponit fuisse labores & pericula pro fide. Si ergo iudex iustus reddet operibus Pauli coronam, ergo opera Pauli merentur de condigno coronam.

Ita totus hic Articulus pugnat cum fide & sensu Orientalis Ecclesiæ in eo, quod fidei tribuit contra Basilij magni doctrinam in tractatu de fide; & Chrysostomum differentem de fide in caput 11. epistolæ ad Hebræos. In eo, quod iustitiam hominis iusti statuit extrinsecam, hoc est fictitiam; & perinde valentem, ac si quis diceret; sedentem hominem currere alienis pedibus; & ægrotũ bene valere aliena sanitate. In eo quod asserunt, opera per se non esse sufficientia, sed valere tantum vt fidei testimonia. A planta pedis vsque ad verticem non est in hoc Articulo sanitas; sed insania, & impietas, & præpostera fictio.

ARTI-

ARTICVLVS XIIII.

Credimus liberum arbitrium in non renatis esse mortuum, quia nil boni possunt facere; & quicquid faciunt, esse peccatum. In renatis verò esse per gratiam Spiritus sancti arbitrium excitatum. Et operatur quidem, sed non sine gratiæ auxilio. Ergo vt homo faciat bonum, præuenit gratia arbitrium, quod sine gratia inuenitur esse vulneratum; vt à latronibus ille, qui descendebat ab Hierusalem; ita vt nihil ex se vel possit, vel faciat.

CENSVRA.

OEdipo sane indigent ænigmata Caluinistarum; quod omnium hæreticorum est proprijssimum. Ambigua omnes dicunt, obscura, non aperta, non plana.

Asserunt liberum arbitrium in non renatis esse mortuum, quia nihil boni possit facere.

Rursus quod mortuum est, in renatis excitari asserunt, sed esse vulneratum; Deinde etiam ex se nihil posse. Nihil boni posse, & nihil ex se posse, multum distant. Et quando mortuum est, nihil boni posse; quando verò excitatum, nihil ex se posse, cum semper possit malum facere; non cohærent.

Rursus esse excitatum, sed vulneratum, est nunquam esse sanum. At nunquam esse sanum adiuuante gratia Dei, negare est vires medici, & velle iustū in suis bonis operibus semper claudicare.

Si ergo liberi arbitrij mortem physicam intelligunt, quæ

morte

morte facultatem immortalis animæ mori impossibile est, secum ipsi pugnant. fatentur enim, non renatos semper peccare. Si peccat, libero arbitrio peccanti non est ergo liberum arbitrium in non renatis physicè mortuum, siquidem nullo modo operaretur.

Si verò mortem liberi arbitrij moraliter intelligunt & metaphoricè, quia sine Dei gratia mortuum est; deberent etiam ponere mortuum intellectum in non renatis; quandoquidem in illis non est fide illustratus. Cur enim voluntas non bene operans mortua sit, & mens non vere dirigens viua sit?

Ex quo etiam planũ est, quam vana fuerit alia Caluinistarum assertio; Quòd fides iustificet, non opera bona. Nam si bona opera præsentia dant vitam è viuo principio prodeuntia, & sine illis liberum arbitrium mortuum est: ergo iustificatio non oritur è sola fide, sed requiritur etiam illud, quod viuificat hominem. Quod propterea non testis vitæ, sed vita, seu præcipua vitæ pars est. Aliter de libero arbitrio sentiunt & docent sancti Patres Orientales.

Nam sanctus Athanasius in oratione contra Gentes, idest homines non renatos, dum explicat; Quomodo hominis anima prolapsa fuerit ad vitia & idololatriã; Anima, inquit, cum motu perpetuo moueatur, suis vtitur facultatibus, abutiturque illis ad excogitata desideria. Nam creata est libero ornata arbitrio. Potest enim sicut ad bona inclinari, ita & bona auersari. Omnino autem cessare à motu non potest. Et cum liberum suum agnoscat arbitrium, videt se posse corporeis vti membris ad vtrumque. Ita suis facultatibus abutens mouet sui corporis membra ad ea, quæ sunt opposita; & putat se non peccare, dum agit quæ suæ sunt potestatis. Et multa similia sanctus Pater addit in illa Oratione, & alibi passim. Nusquam tamen dixit, in non renatis liberum arbitrium esse mortuum.

Sanctus verò Basilius in tractatu de libero arbitrio explicans, quæ sit vis eius in renatis: Liberum, inquit, in homine arbitrium in eo situm est, vt velit, aut nolit resistere

diabolo; non vt plane possit victoriam de affectibus reportare. Norunt enim qui mentem habent illustratam, nequaquam suo robore posse vincere aduersarij scandala, sed per inuictam Dei virtutem. Et nusquam Basilius, aut alius Pater dixit, liberum arbitrium in renatis ad vitam reuocari. ita n. Baptismo inter alia nomina hoc etiam dedissent, & vocassent illud sicuti regenerationem, ita & liberi arbitrij resurrectionem. Nunc autem sanctus Gregorius Nazianzenus oratione in sanctum Baptisma; Vocatum, inquit illud, Donum, Vnctionem, Illuminationem, Incorruptionis indumentum, Regenerationis lauacrum, Vetustatis innouationem, Sigillum: excitationem verò, idest resurrectionem esse liberi arbitrij mortui nemo dixit.

Sed familiare est hæreticis adhærere semper extremis. Pelagiani liberum arbitrium ita viuū & potens viribus ponebant, vt crederent hominem sine Dei gratia posse omnia mandata implere. Contra Caluinistæ asserunt, liberum arbitrium extinctum in non renatis, & excitari in renatis. fides verò Catholica illud nunquam extingui, sed attenuatum esse docet & inclinatum.

ARTICVLVS XV.

CRedimus Euangelica sacramenta esse in Ecclesia, quæ Dominus instituit in Euangelio. Et ipsa esse duo. Ampliorem numerum sacramentorum non habemus, quia institutor nō plura tradidit. Porro constare verbo & elemento, esseque signacula promissionum Dei, & conferre gratiam non dubitamus. Vt autem sacramentum sit integrum, opus esse vt concurrat res terrena, & actio externa cum vsu rei ter-

errenæ à Christo Domino instituto, atque cum
vera fide coniuncto; Quia fidei defectus præiu-
licat integritati sacramenti.

CENSVRA.

ARticulus iste, in quo iuxta fidem Catholicam exprimendus erat septenarius sacramentorum numerus, amplectitur septem perniciosissimas hæreses.

Prima est; Quod illa tantū vult esse sacramenta Euangelica, quæ Dominus instituit; hoc est expressa habentur in Euangelio. At pari omnino ratione illa tantum credenda essent dogmata Euangelica, quæ tantum expressa habentur in Euangelio. Cur ergo Caluinistæ in 7. huius suæ Professionis Articulo bene fatentur Beatissimam Dei Matrem esse semper Virginem, quod non est expressum in Euangelio? Cur in 16. Articulo bene fatentur Dogma de non iterando Baptismo, quod non est expressum in Euangelio?

Deinde qui Dogma de numero septem Euangelicorum sacramentorum volunt, vt credatur, expressum esse in Euangelio; qua ipsi licentia finxerunt noua & inaudita dogmata, in articulis huius Confessionis exposita, quæ non modo non sunt, nec esse possunt expressa in Euangelio, sed omnino pugnant cum Euangelio? Iustificationem esse ex fide nō ex operibus: Hominem iustificari apprehensa & applicata sibi Christi iustitia: Membra Ecclesiæ compositæ ex beatis & non beatis esse sanctos: Transubstantiationem esse excogitatam: Purgatorium esse commentum?

Secunda hæresis, Sacramenta esse duo.

Tertia, Quia institutor non plura tradidit. Quærendum à Caluinistis, vbi Dominus tradiderit duo, & non plura sacramenta? Neque enim quando dixit Matt. vlt. 19: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos; &c. expressè dixit, per illa verba, quæ tunc proferebat, se instituere sacramentum,

tum. At eodem loquendi modo vsus, cum dixit: Io.20.22. Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c cur non instituerit sacramentum, & si non expresserit, rationem reddant Caluinistæ. Per similes enim loquendi modos velle Christum modo instituisse, modo non instituisse Sacramentum, est perfidæ voluntatis, non Christianæ pietatis.

Ita etiam cum eodem loquendi modo sit vsus Dominus, cum dixit; Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum. Et rursus; Hoc facite in meam commemorationem: edisserant Caluinistæ, cur per verba priora credendum sit institutum esse à Christo Sacramentum Eucharistiæ; per posteriora verò non esse institutum sacramentum Ordinis ad tāti sacramenti confectionem? Vtrobique enim vsus est eodem loquendi modo; nec expressit, hic se instituere, ibi non instituere sacramentum.

Sed quantum impudentiæ genus est, & quanta mentiendi libido, vt Græcorum Ecclesiæ tribuant hasce de numero sacramentorum enormitates? est ne verò quicquam in Ecclesia Græcorum expressius, notius, vsitatius perpetuo usu, ritibus ac ceræmonijs septem Sacramentorum? Illi, qui schismatis antesignani fuerunt, multa sunt ausi, vt ritus diuersitatem Oriētalis Ecclesiæ diuersitate quoque dogmatum separarent: at veritatem, numerum, intrinsecas Sacramentorum partes Dei beneficio non attigerunt; sed summa Dei prouidentia factum est, vt in re Sacramentorum perpetua & mira Orientalis atque Occidentalis Ecclesiæ concordia peruersitatem confundat hæreticam.

Quarta hæresis; Sacramenta constare verbo & elemento. Abyssus abyssum inuocat. Ita philosophantur, qui ad binarium numerum sacramenta omnia redigunt. Nam etiam si detur illis, elementum esse quod in alijs sacramentis mixtum ex elementis est; materiale tamen pœnitentiæ & matrimonij nullo modo potest esse elementum.

Quinta hæresis; Sacramenta esse signacula promissionum Dei. At ex hoc sequitur, Euangelica Sacramenta nihil differre à Circumcisione. Dicit enim Apostolus in epistola

ad

ad Romanos, cap. 4. 11. 13. Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei.

Rursus: Non enim per legem promissio Abrahæ, sed per iustitiam fidei. Si iustitiæ fidei facta est promissio, & circumcisio est signaculum iustitiæ fidei: ergo circumcisio est etiam signaculum promissionis, quæ facta est iustitiæ fidei. At sacramenta Euangelica per Caluinistas sunt pariter signacula promissionum Dei: nulla est ergo differentia & excellentia per ipsos Sacramentorum nouæ legis.

Verù sancti Patres, & ad rem nostram Orientales, nõ loquuntur de Baptismate quasi de signo promissionis, sed vim & efficaciam instrumentalem in illo agnoscunt.

Quare in Euchologio, vbi descripti sunt ritus conferendi Baptismatis more Græcorum, præmittuntur piæ quædam preces super aquam baptismi in hæc verba.

Vt sanctificetur hæc aqua virtute, efficacia, & aduentu Spiritus sancti, Dominum deprecemur.

Vt immittatur in ipsâ gratia redemptionis, & benedictio Iordanis, Dominum, &c.

Vt in has aquas superueniat purgatiua operatio superessentialis Trinitatis, &c. Et in sequentibus orationibus vtuntur his verbis.

Ipse igitur amator hominum Rex nunc quoque adesto per aduentum sancti tui Spiritus, & sanctifica hanc aquam; & da illi redemptionis gratiam, benedictionem Iordanis; fac illam incorruptionis fontem, sanctificationis donum, qua remittantur peccata, & fugentur morbi, & sit dæmonibus exitium; ad quam virtutes aduersæ non accedant, sed sit angelica virtute plena, fugiantque ab ipsa qui tuæ creaturæ insidiantur.

Rursus; *Ostende aquam hanc sanctificationis aquam, purgationem carnis & spiritus, vinculorum solutionem, peccatorum remissionem.* Ita preces illæ plenissimæ sunt his loquendi formulis; quas ex doctrina Areopagitæ de Hier. Ecclesi. cap. de Baptismo traditas ab Apostolis & à sanctis Patribus acceptas Orientalis Ecclesia tenuit semper ac tenet.

Sexta hæresis; Vt sacramentū sit integrum, opus est vt concurrat res terrena, & actio externa cum vsu rei terrenæ. Modus ille explicandi naturam sacramenti cum sit valde improprius & summè impius eo tendit, vt integritatem Eucharistiæ velit esse in vsu, sicut contingit in baptismo. At hoc est pugnare cum omnibus sanctis Patribus, contra euidentissimā liturgiæ Græcorum veritatem, contra modum institutionis & Saluatoris ipsius verba.

Siquidem ipse baptismum instituit per verbum significationis actiuæ; Euntes docete, baptizantes in nomine &c. Matt. vlt. 19. Marc. 16. 15. At Eucharistiam instituit per verbum substantiuum, Hoc est corpus meum.

Perficitur ergo baptismus, sicut institutus est, per actionem & vsum aquæ.

Perficitur Eucharistia per esse rei, quæ significatur, sicut instituta est. Res autem, quæ significatur, est Christi corpus & sanguis. Et quia esse prius est vsu, idcirco falsissimum & blasphemum est, integritatem Eucharistiæ pendere ab vsu. Ex innumeris, quæ possent afferri, Orientalium testimonijs hoc erit satis; Quòd Sacerdotes Græci, ac omnes qui altari inseruiunt, Eucharistiam sumpturi, eam manu tenent, & verba hæc proferunt:

Credo Domine, & confiteor, quòd tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.

Non ergo in vsu, non in comestione, sed sub speciebus panis agnoscit Orientalis Ecclesia substātialiter præsentem Christum & sacramentum Eucharistiæ fatetur prius esse, quam vsus accedat.

Septima hæresis; Vt sacramentum sit integrum, opus est, vt rei terrenæ vsus à Christo institutus sit cum vera fide coniunctus. At hoc est damnare sanctam generalem 1. Synodum; quæ 8. suo Canone præcepit, Nouatianos hæreticos esse recipiendos per manus impositionem; Canone verò 19. Paulianistas esse omnino rebaptizandos.

Similiter & sancta generalis 2. Synod. statuit 7. suo Canone, Arianos, Macedonianos, Nouatianos, Quartodecima-

cianos, Sabbatianos, Apollinaristas, non esse rebaptizandos. Ergo falsum est, Defectum fidei præiudicare integritati sacramenti. Ariani enim & Macedoniani, ac cæteri allegati verã fidem non habebant, & vere tamen baptizabant.

ARTICVLVS XVII.

CRedimus alterum sacramentum à Domino institutum esse illud, quod vocamus Eucharistiam. Nocte enim, qua tradebat semetipsum, accipiens panem, & benedicens dicebat Apostolis: Accipite, & manducate; Hoc est corpus meum. Et accepto calice gratias agens dicebat; Bibite ex hoc omnes; Hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur. Hoc facite in meam commemorationem. Et addit Paulus; Quotiescumque enim comederitis panem hunc, & calicem hunc biberitis, mortem Domini annuntiabitis. Ista est simplex, vera & legitima huius mirabilis sacramenti institutio. In cuius administratione præsentiam veram, realem Christi Domini confitemur & profitemur. At illam, quam fides nobis offert, non autem quam excogitata docet Transubstantiatio. Credimus enim, fideles corpus Christi manducare in cœna Domini, non dente materiali terendo, sed animæ sensu percipiendo; cum corpus Christi

non sit illud, quod oculis in sacramento sese offert; sed illud, quod spiritualiter fides apprehendit, nobisque præbet. Vnde verum est: Si credimus, manducamus, & participamus; Si non credimus, omni fructu destituimur. Consequenter Calicem bibere in sacramento, esse sanguinem verum Domini nostri Iesu Christi communicare eo modo, sicut & de corpore asseruimus. Institutor enim sicut de suo corpore, ita de suo sanguine mandauit. Quod mandatum nec lacerari, nec mutilari potest pro libito humani arbitrij. Imo seruari debet institutio, prout nobis tradita est. Vbi ergo participauerimus digne, & communicauerimus integre corpus & sanguinem Christi in sacramento, fatemur esse iam nos reconciliatos, capiti nostro vnitos, & Συσσώμες, cum certa spe & cohæredes futuros in Regno.

CENSVRA.

Magna est in hoc Articulo blasphemiarum atheismos redolentium sylua. Ex duobus Caluinistæ sacramentis alterum esse dicunt Eucharistiam.

Sed primo ipsi fatentur Articulo 15. sacramenta constare verbo & elemento. Ergo per ipsos elementum in Eucharistia erit panis & vinum; Verbum quodnam erit? Si enim verbum sacramenti debet exprimere actionem quæ exercetur,

tur, vt patet in baptiſmo; Verbum exprimens vſum Euchariſtiæ deberet eſſe tale; Ego manduco corpus Chriſti. At nec diabolus vſpiam hoc dixit.

Secundum Atheiſmi genus. In adminiſtratione Euchariſtiæ eſſe Chriſti præſentiam. Si præſentiam Chriſti dat adminiſtratio, ergo verbum reſpondens adminiſtrationi Euchariſtiæ eſſet illud; Accipite, & manducate; Hoc eſt corpus meum. ſed poſteriora verba, Hoc eſt corpus meum, per Caluiniſtas non habent vim tranſubſtantiandi. Ergo ſenſus omnium verborum Chriſti hic eſſet; Accipite hunc panem, quo meum corpus ſignificatur, & comedite. At hoc indicat in adminiſtratione realem & ſubſtantialem præſentiā adminiſtrantis, & panis adminiſtrati; non realem & ſubſtantialem præſentiam rei immediate ſignificatæ per adminiſtrationem, ideſt corporis Chriſti. Ergo Euchariſtia per Caluiniſtas nullo modo poteſt eſſe ſacramentum, vt baptiſmus. Baptiſmus enim dicit realem & ſubſtantialem præſentiam & ſuſcipientis, & adminiſtrantis, realem & ſubſtantialem præſentiam rei adminiſtratæ, nimirum aquæ: realem & ſubſtantialem præſentiam rei per adminiſtrationem baptiſmi ſignificatæ immediatè, nimirum regenerationis. Alio modo igitur Baptiſmus eſt ſacramentum, neque illi conuenit cum Euchariſtia.

Rurſus ſi adminiſtratio dat præſentiam Chriſti, fatendum eſſet, omnes ſanctos Patres, omnes ſapientiſsimos & rituum obſeruantiſsimos Doctores Orientales à tempore Apoſtolorũ nõ intellexiſſe, non aſſecutos fuiſſe veritatem adminiſtrationis Euchariſtiæ: cũ optimè & abſolutiſsimè intellexerint adminiſtrationes aliorũ ſacramentorũ. Conſtat enim ex perpetuo ritu Eccleſiæ Græcorum, Numquam adminiſtrari per eos ſacramenta requirentia vſum materiæ, quin diſtinguant & ſeparent in illis benedictionem & conſecrationem materiæ ab adminiſtratione ſacramenti.

Ita prius benedicunt aquam, & deinde per aquam iam benedictam baptizant. Id ſeruant in ſacramento Confirmationis, idem in ſacramento extremæ Vnctionis. Qui fiat igitur, vt in ſolo ſacramento Euchariſtiæ non diſtinxerint

 admi-

administrationem sacramenti à consecratione materiæ, sed idem voluerint esse hæc duo? Quæ verò sit materiæ consecratio in sacramento Eucharistiæ ante eius administrationem, & quam differens à consecratione materiæ in alijs sacramentis, sumendũ est ab ijsdem sanctis Patribus: Qui oẽs vnanimi cõsensu agnoscũt, fatentur, prædicant, docent, & vehementissimo tubarum instar clangore affirmant, Post consecrationem panis & vini sub visibilibus speciebus esse Christum verè, realiter, & substantialiter præsentem. Infinitum esset congerere testimonia sanctorum, quæ in plenis Confutationibus allata iam sunt, & suo loco afferentur. Satis nunc erit ad detegendũ hunc perniciosissimũ errorem afferre hæc pauca. Constat omnino, Diuinum missæ sacrificiũ apud sanctos Patres, & in ipsa liturgia vocari sacrificium incruentum. Si sacrificium, ergo viuæ rei oblationem. at viua res esse non potest, nisi contenta sub speciebus. Alioquin panem simplicem vocare sacrificium esset falsissima propositio, crassissima ignorantia, & indigna Patribus doctrina.

Sanctus Basilius in orationibus liturgiæ suæ ante consecrationem: Fac me, inquit, Dñe, sancti tui Spiritus virtute potentẽ, qui habitu Sacerdotali indutus stem ante hoc tuum sanctum altare, & conficiam tuum sacrum & immaculatum corpus pretiosumque sanguinem.

Rursus. Et fac me dignum, vt à me tibi offerâtur peccatore & indigno famulo tuo hæc munera. Tu enim es offerens & oblatus, & accipiens & distributus Christe Deus noster.

Rursus in subsequenti oratione repetitis ijsdem precibus: Respice, inquit, hanc nostram latriam, & suscipe eam, sicut suscepisti à sanctis tuis Apostolis hanc veram latriam. Et quam hic vocat latriam, paulo ante vocauerat rationale & incruentum sacrificium.

Et peracta consecratione post quater repetitum eundem de vera Christi præsentia sermonem, subiungit: Doce nos Deus noster, vt sanctimoniam perficiamus in timore tuo, & puro conscientiæ nostræ testimonio sumentes particulam

Iam tuarum sanctificationum vnlamur corpori & sanguini Christi tui. Quibus digne susceptis habeamus Christum habitantem in cordibus nostris.

Denique ante sumptionem Eucharistiæ posita est hæc oratio: Attende Domine Iesu Christe Deus noster de sancto tuo habitaculo, & de sede gloriæ regni tui, & veni ad sanctificandum nos, qui sursum sedes cum Deo Patre, & hic nobis inuisibiliter es præsens; dignosque effice tua potente manu, qui sumamus immaculatum corpus, & pretiosum sanguinem.

Et mox in gratiarum actionem: Tibi, inquit, Deus noster gratias agimus ob sumptionem sanctorum, immaculatorum, immortalium, cælestiumque mysteriorum tuorum.

Denique concludens diuinum liturgiæ opus dicit: Absolutum est pro nostris viribus œconomiæ tuæ mysterium, Christe Deus noster. Repleti sumus interminabili vita. Percepimus deliciarũ inexhaustas epulas. Huius perceptione nos omnes effice dignos & in futuro sæculo.

Easdem sententias continet tota Chrysostomi liturgia. Dico autem Basilij & Chrysostomi liturgias, non quin fuerint compositæ & traditæ ab Apostolis; vt loco paulo ante citato testatur in liturgia Basilius, & constat ex Dionysio Areopagita libro de Hierarchia Ecclesiastica, capite mysterij Synaxis, seu Communionis; & Iustino martyre, & Athanasio in eorum Apologijs. Sed quia Basilius, & postea Chrysostomus longiores antea orationes ac preces in eum statum redegerint, quo nunc sunt. Ex quo perspicuum est, tanti esse liturgiæ auctoritatem; quanti est traditio Apostolica, vniuersalis Ecclesiæ fides, & attestatio quauis certitudine maior.

Quid dicam de liturgia Præsanctificatorum, quæ sola enecat summam Caluinistarum impietatem? In ea, vt docet Rubrica Euchologij, sacrificium iam peractum habetur. Et quando ad seruandum illius liturgiæ ritum consecrata particula reponenda est in altari, dicitur hæc oratio.

Domine sancte, rogamus te diuitem in misericordia, vt sis propitius nobis; dignosque nos efficias, qui suscipiamus

 Vnige-

Vnigenitum filium tuum & Deum nostrum Regem gloriæ. Ecce enim sacrosanctum eius corpus & sanguis viuificus deferuntur hac hora super hanc mysticam reponenda mensam, multitudine cælestis exercitus inuisibiliter stipata.

Et in sequenti oratione delatis iam muneribus: Deus, inquit, qui ministerium huius liturgiæ nobis reuelasti, nosque peccatores præ nimia tua misericordia posuisti, vt offeramus tibi munera & sacrificia pro peccatis nostris; & populi ignorantijs: ipse Domine respice in nos indignos famulos tuos, stantes ante sacrum tuum Altare, veluti ante thronum Cherubicum: in quo Vnigenitus tuus & Deus noster sub propositis tremendis quiescit mysterijs. Vt conscientia pura sumentes hæc diuina sacramenta, & ab ipsis viuificati vniamur ipsi vero Deo nostro Christo; qui dixit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Vt inhabitante & inambulante in nobis Verbo tuo Domine, fiamus templum sanctissimi & adorandi tui Spiritus.

Et ibidem subsequentes orationes eadem repetunt. Audeant ne ad hæc hiscere amplius Caluinistæ, & atheismi sui socios mentiri Græcos? Dubitare enim, an Græci credant & fateantur non in administratione, sed ante omnem administrationem & omnem vsum Christi Domini substantialem præsentiam sub speciebus visibilibus, est apertis oculis solem non intueri.

Tertium ex his sequitur Atheismi genus. Si enim præsentia Christi est in administratione; ergo per Caluinistas Eucharistia non habet rationem incruenti sacrificij, sed tantum sacramenti. At hæc est intoleranda blasphemia; & pugnat cum sacrosancto liturgiæ ritu; cum sacris generalibus & prouincialibus Concilijs, cum vniuerso cœtu omnium sanctorum Patrum Doctorumque Ecclesiæ catholicæ.

Vnde Chrysostomus oratione 2. contra Iudæos efficacissimè probat veritatem legis Euágelicæ, quia nunc iuxta Malachiæ vaticinium in omni loco sacrificatur oblatio munda. Munda, inquit sanctus Pater, quia offertur operante

rante gratia sancti Spiritus ; vt sit infinitum, inquit, discrimen inter sacrificium nouæ legis & sacrificia veteris. idem repetit & oratione 4. Tantæ igitur blasphemiæ virus non aliunde prodijt, quàm è tartareis & ignitiomis Luciferi faucibus.

164

Quartum Atheismi genus. Quòd Caluinistæ fatentur veram & realem Christi præsentiam, sed quam illis offert fides. Egregiam plane docent absentis Christi præsentiam. Hæc illorum assertio perinde valet, ac siquis diceret, Rem in mente idem esse ac rem extra mentem. Verum hæc sunt delirantium somnia. Dicant nobis Caluinistæ; Si cum illis Ecclesia Græcorum laborat hisce delirijs, cur dat communionem infantibus? Infantibus enim non potest offerri præsentia Christi per fidem. alio modo igitur adesse præsentem Christum fatentur Græci, nimirum per se substantialiter, non apprehensionis inani & fictitia præsentia. Alioquin quod labellis infantium infundunt, purum esset vinum. Quod si communionem dicas, poteris quoque lac nutricis appellare communionem.

Si verò talem præsentiam, realem & substantialem, impossibilem esse putant Caluinistæ, quia nolunt captiuare intellectum suum in obsequium Christi, & credunt fieri non posse viribus diuinæ omnipotentiæ, quod ipsi capere non possunt, habent in hoc socios veteres omnes hæreticos, ad prærupta hæresum idcirco prolapsos, quia humani ingenij serpentis humi angustijs capere volebant altissima quæque Christianæ veritatis mysteria.

Arius, quia spiritu inflatus perscrutari volebat altiora se, noluit credere in immenso Trinitatis mysterio Ingeniti & Geniti eandem numero esse naturam.

Nestorius iudaica rabio noluit credere, Indiuiduum naturæ humanæ in Christo suam non habere hypostasim.

Eutyches & Dioscorus eodem arrogantiæ spiritu asserebant, Vnius personæ vnam omnino esse naturam. Cù tamen hi omnes hæretici nullo apto exemplo conuinci possent; At Caluinistæ, qui per fas & nefas volunt sibi Græcos asciscere, poterant è fontibus Patrum Græcorum qualitercumque

que haurire, Num fieri possit per Dei omnipotentiam pluribus in locis vnam rem esse.

Narrat Gregorius Nazianzenus Oratione funebri in suum Patrem; Eum vehementissima febri laborantem, salute iam desperata, nullam medicis opem ferre valentibus: Erat autem, inquit, tunc celeberrima dies Paschæ, regina dierum, & illustrissima illa nox, qua frequentissimis luminibus Christiani salutem suam concelebrant: Gregorio ipso qui hæc scripsit, sancti Episcopi filio, eiusque matre, ac vniuerso populo sacris officijs operante in templo; & summis precibus petente à Deo per virtutem illius noctis, vt opem ferret; & multis lacrymis auxilium implorante: ægrotum è vestigio expertum esse Dei potentiam. Horreo, inquit Nazianzenus, dum narro historiam; & auditores horrere iubet. Et, Nolite, inquit, fidem non habere: nefas enim, nobis de illo narrantibus. Aduenerat mysterij tempus, quando summa veneratione & ordine silentium fit ijs quæ peraguntur. Aegrotus verò à viuificante mortuos consurgit. modicum mouetur primum, inde robustius. mox ex aduigilantibus aduocat famulis vnum de nomine, voce admodum tenui, vt præsto esset vestemque porrigeret, & manū præberet. Præsto is adfuit stupens, prompteq. inseruijt. Ille verò manu sustinente tanquam scipione vsus, imitatur dum esset in monte Mosem, & resolutas manus in speciem orantis accommodans, simul & ipse alacriter consecrat, vel ante consecrat quàm essent consecrata mysteria populo; verbis quidem paucis, quantum valebat; sed mente, vt mihi videtur, longè integerrima. ò rem admirandam. sine altari ad altare; sine ara sacrificus; Sacerdos procul à consecrandis. Et hæc illi aderant à Spiritu sancto, ipsi quidem cognita, sed à præsentibus minime visa. Deinde prolatis Eucharistiæ verbis, ita vt moris est, & impertita benedictione populo in lectum reuertitur, & conualescit. &c.

Hic manifeste Gregorius testatur, consecranda munera fuisse præsentia & in sacro Ecclesiæ altari, & sacto Episcopo domi consecranti. Cur ergo Caluinistis videtur impossibile ipsum miraculorum fontem Dominum sedere simul ad dex-

teram

teram Patris, & simul contineri speciebus sacramentalibus?

Quintum Atheismi genus. Non illam praesentiam, aiunt, quam excogitatam docet Transubstantiatio.

Hæc est impietatum coronis, hæc est blasphemiarum blasphemia: hoc enim est negare mysteriorum mysterium, vt Areopagita vocat libro de Hierarc. Ecclesiast. cap. de Baptismo: Quippe negata transubstantiatione negatur Ecclesiæ vnitas, negatur vitæ fons, negatur finis & perfectio omnium sacramentorum, vt idem Areopagita docet: negatur Christianismus. Si forte Cyrillus hodie Patriarcha Constantinopolitanus euomuit horrendissimam hanc blasphemiam, sciat per hoc se declarasse Orientalis Ecclesiæ proditorem, Apostolicæ fidei desertorem, Conciliorum generalium abnegatorem: sanctorum Orientis Doctorū, præsertim Chrysostomi, & Cyrilli Alexandrini, summorum orthodoxæ fidei præconum oppugnatorem; hæresiarcha Nestorio deteriorem, Macario Antiocheno monothelita peiorem, pessimis Iconomachis sceleratiorem. Ex tot enim, quæ in Oriente exortæ sunt hæreses, nulla vnquam eo impietatis progressa est, vt Transubstantiationem diceret rem excogitatam.

Nestorius, vt habemus Act. 1. 3. Synodi hoc syllogismo vtebatur: Dicebat Christus, Ioan. 6. Qui manducat me, & ipse viuet. Quid manducamus, diuinitatē, an humanitatem? Ex quo; quia putabat humanitatem sumi, non diuinitatem, inferebat, Christum esse purum hominem. Cyrillus verò respondebat; Vt patet ex eadem Synodo p. 1. in epist. ad. Nestorium: Incruentum in Ecclesijs offerri sacrificium, & mysticas accipi benedictiones; & sumentes sanctam carnem & pretiosum Christi sanguinem sanctificari, non vt carnem communē; Absit; neque vt sanctificati hominis; sed carnem verè vinificam, & propriam Verbi. Quid quæso, obiecisset Nestorius, aut respondisset Cyrillus, si nulla esset transubstantiatio, vt blasphemant Caluinistæ?

In sexta Synodo, Act. 8. Macarius hæreticus Patriarcha Antiochenus in suæ fidei professione repetit ipsa Cyrilli verba, & vim veritatemque transubstantiationis apertissimè

mè profitetur .

In 7. Synodo, Act. 6. tomo tertio responsionis ad Definitionem Pseudosynodi Iconomachorum ponitur illorum assertio; Quòd panis Eucharistiæ sit imago Christi. cum tamen hæretici statim subiungant, & fateantur; Panem illum sanctificari superueniente Spiritu sancto, & fieri corpus diuinum opera Sacerdotis, transferentis illum panem de communi in sanctum. Catholicorum verò responsio laudat quidem eos de hac posteriori confessione; obiurgat autem vehementissimè, quòd panem consecratum vocassent imaginem Christi; cum sit, inquiunt, ipsum corpus, & ipse sanguis. En Iconomachi transferentem fatentur Sacerdotem. At quid aliud est translatio panis de communi in sacrum, quàm transubstantiatio?

Certum enim & perspectũ est, Orientales omnes, etiam hæreticos, omni tempore accepisse verba Christi, Hoc est corpus meum; in propria & litterali sua significatione. Propter quod nemo vnquam ausus est dubitare de vi & efficacia illorum verborum, qua posita necessario sequitur transubstantiatio. Quippe notum omnibus erat, Origenem fuisse antiquitus damnatum a sanctis Patribus, deinde etiam à Synodo 5 quòd Scripturæ verba, vt inquit Basilius magnus Homilia 2. in Hexaemeron, ipse non sequeretur, sed ad id quod vellet Scripturæ sensum detorqueret. Quod etiam repetit sanctus Pater Homilia 3. suppresso nomine reprehendens Origenem, qui prætextu sensus anagogici exponebat verba Scripturæ tropicè & allegoricè. Sed hos exponendi modos inquit Basilius, reijciendos esse vt somnia & fabulas aniles; intelligenda verò esse consideratè verba Scripturæ à sapientibus, non inflectendam eorũ veritatem.

Ita Basilius magnus reprehenso Origene, in libro deinde Compendiosarum Definitionum quæstione 102. quærit; Quali timore, quaue certitudine sumenda sint corpus & sanguis Christi. & respondens ait; Timorem quidem docet Apostolus dicens 1. Cor. 11. 29. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Certitudinem verò efficit fides verborum Domini dicentis; Luc. 22. 19. Hoc

Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem.

Et Chryſoſtomus ſermone in proditionem Iudæ, & inſtitutionem myſteriorum: Adeſt, inquit nunc quoque Chriſtus, qui menſam illam ornauit, cum & ipſe nunc etiam hanc ornet. Neque enim homo eſt, qui facit vt quæ propoſita ſunt, fiant corpus & ſanguis Chriſti; ſed qui crucifixus eſt pro nobis Chriſtus. figuram implens ſtat Sacerdos, dum verba illa profert orationis; ſed virtus & gratia Dei eſt. Hoc eſt inquit; corpus meum; Hoc verbum tranſmutat propoſita. & Hom. 83. in Matt. Nos inquit, miniſtrorum tenemus locum: Qui verò ea ſanctificat, & transformat, ipſe eſt.

In ſacra vero liturgia tam Baſilius, quam Chryſoſtomus poſt peractam conſecrationem per verba Chriſti, ſubijciunt hæc, tanquam accepta è traditione Apoſtolica; Sacerdos benedicit dicens; Cum ea traſmutaueris ſancto tuo Spiritu.

Hanc ergo certiſſimam, indubitatiſſimam, Apoſtolicam Orientalium de Tranſubſtantiatione fidem audeant negare nuperi Atheologi Caluiniſtæ, & inuiolabile Dogma Chriſtianorum vocare commentum? Siue enim ſeriem textus Euangelici ſpectes, ſiue propriam vocum ſignificationem, verba Chriſti; Hoc eſt corpus meum; non alium admittunt ſenſum, quàm quod propriiſſimè ſonant.

Litigabant Iudæi Ioannis 6.53. quomodo caro Chriſti dari poſſet ad comedendū; & intelligebant veram & ſubſtantialem comeſtionem carnis, non metaphoricam per apprehenſionem mentis. Propterea enim dixerunt verſ. 61. Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? & v. 67. Ex quo multi Diſcipulorum eius abierunt retro: At verò Dominus, qui ea docebat tantum, quæ poterant ferre homines; & Ioannis 16.12. dicebat Apoſtolis; Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo: reſpondens Iudæis ſcandalum paſſis; non modo eos non liberauit eorum ſcandalo, ſed ſenſum & opinionem eorum maximè confirmauit aſſerens; Io. 6.54. Amen, Amen dico vobis, Niſi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem

nem, non habebitis vitam in vobis. Et responsione in hunc modum septies repetita probauit & confirmauit, quod audientes opinabantur. Hoc autem, si fabula Caluinistarum aliquid valeret, nullo modo faciendum erat Sapientiæ Dei, quæ fidem catholicam plantans debebat nudam de tanto mysterio veritatem docere, & non tale scandalum inutiliter præbere, propter quod multi retro abirent.

Nunc verò multum de carne sua sermonem Christus instituit, vt ostenderet Iudæis iuxta expositionem Chrysostomi; Manna olim fuisse vmbram & figuram; quæ verò tradebat ipse, esse veritatem: quod omnino pugnat cum sensu Caluinistarum. Impossibile ergo est, è textus Euangelici serie dici posse, Christi præsentiam in Eucharistia offerri per fidem; sed necessario dicendum est, per transubstantiationem Christum realiter contineri.

Hoc idem fateri cogit vel ipse grammaticæ constructionis modus. Sensus enim tropicus tunc habet locum, quando sunt substantiua nomina duo, vt, Petra autem erat Christus. 1. Cor. 10. 4. Nam iuxta litteræ sensum intelligendum esset, Christum esse petram, idest substantiam insensibilem. idcirco tropicum esse dicimus loquendi modum. cuiusmodi sunt & illa: Luc. 8. Semen est verbum Dei; spinæ sunt diuitiæ, solicitudines, & voluptates: Bona terra sunt, qui verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. At vbi demonstratiuo nomine vtendo dicitur; Matt. 17. 5. Hic est filius meus dilectus: & Io. 21. 24. Hic est discipulus ille, & similia, nullum habet locum tropicus sensus.

Si ergo dictum esset à Domino; Hic panis est corpus meum; esset fortasse aliquis Caluinistarum prætextus. At dicendo; Hoc est corpus meum; & proprius verborum significatus, & Euangelica veritas, & Apostolorum traditio, & constans Catholicæ Ecclesiæ fides, & perpetuus liturgiæ vsus, & vnanimis omnium sanctorum Doctorum cõsensus fateri cogunt, Verba Christi non admittere nisi suum litteralem sensum. Vnde fit, vt vis & efficacia verborum Christi, quam supra citato loco expendit & admiratur Chrysostomus, efficiat quod significat; & significando corpus,

pus,

pus, non panis substantiam, inferat necessariò mutationem substantiæ in substantiam, quod est Transsubstantiatio: Vere dignum omnipotentia & maiestate Christi mysterium, ineffabile, & sensui mortalium inexcogitabile. 167

Sextum Atheismi genus. Credimus, inquiunt, fideles manducare corpus Christi, nō dente materiali terendo, sed animæ sensu percipiendo. Non ita docet Christianorum fides. Et blasphemiam hanc damnat Chrysostomus pluribus locis, euidentissimè verò Homilia 81. in Matt. & 461 in Ioannem. Vt, inquit, non charitate solum, sed re ipsa cum Christi carne commisceamur, per cibum; quem largitus est, hoc assequimur. Idcirco se nobis immiscuit, suumque corpus nobis insperfit, vt vnum quid fiamus, tanquam corpus annexum capiti. Suum quippe ostendens erga nos amorem, non tantum conspiciendum desiderantibus præbuit, sed tangendum etiam & comedendum; & cuius carni dentes etiam infigamus, & intimo amplexu fruamur, & amoris ardori satisfaciamus. Et ne quis ex hoc arriperet opinandi occasionem, Quòd Christi corpus in sacra communione discerpatur & laceretur: Chrysostomus (infra) veritatem Dogmatis exponit in illa Domini verba; Ioan. 6 62. 63. Sciens autem Iesus, quia murmurarent de hoc Discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Spiritus est, qui viuificat; caro non prodest quicquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.

Spiritaliter, inquit Chrysostomus, audienda sunt verba & mysticè; sunt enim spiritus & vita, idest diuina & spiritalia, nihil carnale habentia, seu spectans ad naturalem vsum; sed omni tali necessitate superiora sunt, & leges inferiorum excedunt, alium continentia peregrinum sensum. Sicut ergo spiritum dixit, idest spiritalem sensum; ita per carnem carnalem sensum intelligit. Si quis ergo carnali sensu intelligat, nihil illi prodest. Quid ergo? Caro eius non est caro? imo verò maxime. Cur ergo dixit, Caro non prodest quicquam? Non de sua carne hoc dixit: Absit; sed de intelligentibus verba carnaliter. Quid verò est carnaliter intelligere? superficie tenus videre quæ proposita sunt,

&

& nihil amplius mente concipere ; hoc est, carnaliter. Non sunt autem hoc modo iudicanda quæ proposita sunt, sed omnia mysteria inspicienda sunt oculis internis; hoc enim est spiritaliter. Quomodo enim caro nihil prosit, sine qua viui non potest? Vides illud; Caro non prodest quicquam; non de carne eius, sed de carnali auditione dictum.

Habent ex his Caluinistæ, non esse necesse, quia substantialiter sumitur corpus Christi, vt teratur dentibus, & laceretur. Hoc enim est carnaliter, materialiter, inepte mysterium intelligere.

Rursus quia dentibus non laceratur corpus Christi, non licet inferre, quod substantialiter non subsit, sed animæ tantum sensu percipiatur. Subest enim corpus Christi per modum substantiæ, nō carnalem & sensibilem. Et percipitur sensu animæ vera fide illustratæ præsens Christus sub specie visibili post peractam transubstantiationem.

Sicut enim in cruce lacerabatur corpus Christi, & non lacerabatur diuinitas Christi; ita in Eucharistia laceratur teriturq. dentibus species visibilis sacramenti, sed nihil patitur contenta sub specie res sacramenti.

Patet hoc euidentissime è ritu liturgiæ. Sacerdos enim in fractione specierum pro sumenda communione profert hæc verba;

Secatur in partes, & diuiditur Agnus Dei; qui secatur in partes, & non diuiditur; qui semper comeditur, & nunquam absumitur.

Et hoc quidem est diuinissimi mysterij profundum incomprehensibile. Caluinistæ verò, qui transubstantiationem negant, quo iure sacramentum hoc mirabile vocant? Magna nimirum admirabilitas, vesci pane communi, & mente Christum concipere. Hebræi quoque Christum venturum mente concipiebant, dum manna comedesent; quod profecto nobilius pane fuit, & ad sensum Caluinistarum vocandum esset Eucharistia. Quid enim refert, siue futurus, siue iam exhibitus concipiatur Christus, si fides offerens credenti Christum constituit Eucharistiam?

Septimum genus Atheismi: Quod corpus Christi non sit

 168

fit illud; quod oculis in sacramento se se offert; sed illud, quod spiritualiter fides apprehendit, nobisque præbet.

Huius erroris impietatem vel ethnicus Philosophus derideret. Docet.n.2.de Anim.tex.65. Sensibile per accidẽs esse, vt si albũ sit Diaris filius; hoc enim per accidens sentit. Cum ergo substantia non sit sensibilis per se, dicitur tamen videri homo, quia videntur eius accidentia per se sensibilia.

Hac proportione vsus Dionysius Areopagita scribebat in libro de Hierarchia Ecclesiastica in capite de Communione: Sed ò diuinissimum sacrumque sacrificium circumiacentia tibi symbolica indumenta ænigmatum reuelans, perspicuè te nobis ostende; & mentis nostræ oculos vnitiuo & inoperto lumine comple.

Sicut philosophus per accidentia inquit videri hominem; ita sanctus Pater per vestimenta, hoc est accidentia non inhærentia, sed circumiacentia docet videri Christum. Et sub circumiacentibus indumentis latere diuinissimum sacrificium.

Cur ergo impia Caluinistarum ignorantia negat; Christi corpus esse, quod se oculis offert? cum se oculis offerat medijs circumiacentibus speciebus?

Ita liturgia Græcorum habet, Christum esse præsentem inuisibiliter. Et ipse dominus, vt Chrysostomus exposuit, sumendam dixit suam carnem spiritaliter; idest inuisibiliter per se, visibiliter per accidens.

Hoc sensu Chrysostomus sermone de Pœnitentia 5. aiebat; Ne putes esse panem; ne putes esse vinum; Non enim vt reliqui cibi in secessum abit: Absit. & Cyrillus Hierosolymit. Catechesi mystagogica 4. dicebat; specie panis datur tibi corpus, & specie vini sanguis. Etsi enim sensus tibi offert quod vides, noli rem iudicare gustu; sed fides indubitata te certum faciat, quòd Christi corpus & sanguinem sumas.

Rursus; Esto certus, quòd apparens panis non est panis, licet videatur gustui, sed corpus Christi. Ita Iudæorum & Caluinistarum communis est error. Voluissent enim Caluinistæ, quod perperam intellexerunt Iudæi. Illi carnaliter intel-

intellexerunt, hi carnaliter sumi vellent: magna quidem Iudæi perfidia, sed longè maiori Caluinistæ [illegible]

Octauum Athēismi genus. Si credimus, inquit, manducamus, & participamus; si non credimus, omni fructu destituimur. Hic etiam sub speciosis verbis latet insigne venenum. Volunt Caluinistæ, per fidem non vt prærequisitam, sed vt formalem sumendi Christi rationem haberi, vel non haberi præsentiam Christi.

Sed si hoc modo manducamus, quomodo Iudas, vt inquit Chrysostomus oratione citata in Mysteriorum institutionem; & proditor incredulus erat, & tamen manducauit?

Quod verò fructu destituatur, qui non credit, non infert, per actum fidei sumi Christum; sed quod ibidem ait Chrysostomus, sacrificium esse cibum spiritalem. Sicut ergo cibus, inquit, corporalis si feratur in ventrem malis humoribus scatentem, auget morbum, non natura sua, sed ob ventris prauam habitudinem; ita quoque in mysterijs spiritalibus solet accidere. Nā si inferantur in mentem nequitiæ plenam, multo magis afferunt perniciem; non quia tali natura sint, sed propter ægritudinem animæ communicantis. Itaq. fructu destitui nō credentē, haberet verū sensū, si Caluinistæ intelligerent, substantialem Christi præsentiam non prodesse homini fidem non habenti. Verum hoc non admittit eorum perfidia: sed non credentem aiunt fructu destitui, quia per ipsos actus credendi est actus comedendi corpus Christi: quæ est satanica hæresis.

Nonum atheismi genus. Quòd institutor sicut de suo corpore, ita de suo sanguine mandauit. Quod mandatum nec lacerari, nec mutilari debet pro libito humani arbitrij: Imo seruari debet institutio, prout nobis tradita est.

Ex Anathematismus infra positis, qui à Cyrillo Patriarcha hodierno sunt olim editi, certum est, hæresim hanc conuenire inter ipsum & Caluinistas.

Primus ergo communis & Cyrilli & Caluinistarum error est: Quòd pro eodem sumunt, sumi corpus Christi & sanguinem, quod mandauit Christus: & sumi sub diuersis speciebus ab omnibus; quod nusquam mandauit Christus, nec

Apo-

Apostolus declarauit.

Secundus error est: Quòd alterius speciei communionem volunt esse lacerationem & mutilationem mandati: quod est condemnare omnem antiquitatem.

Tertius error est: Quòd piam & sanctam institutionem cõmunionis publicæ sub altera specie vocant mutilationem pro libito humani arbitrij.

Hi tres impietatis errores refelluntur tribus antidotis.

Primum est: Quia impossibile est, sanctos Patres, qui Apostolis successerunt, ignorasse, aut non percepisse, quid in Euangelio Dominus seruandum præceperit. Sed constat ex historijs: exempli causa per id, quod Eusebius narrat libro 6. Historiæ Ecclesiasticæ ex epistola Dionysij Alexandrini: moris fuisse asseruare particulas consecratas, quæ ægrotis viaticum essent: quod etiam ad hanc diem fit apud Græcos; seruantur enim per annum integrum particulæ: quas vt moribundi sumãt, humectari opus est aqua, aut vino vel sumi quouis alio modo. Et morẽ hũc in exeũtibus è vita seruari iussit sancta prima Synodus Nicæna Canone suo 13. Ergo impossibile est Christum mãdasse vniuersaliter cõmunionem sub vtraque specie, & sanctos Patres aliud egisse.

Secundum: Græci ad hanc diem infantibus etiam communionem dant, intingendo tantum labella eorum modicissimo sanguine. Et communionem hanc infantibus sufficientissimam credunt. Numquã ergo fuit hic sensus Caluinistarum & Cyrilli in Ecclesia, vt à Christo præcepta fuerit omnibus communio sub vtraque specie.

Tertium. Asserit Basilius magnus in epistola de Communione ad Patriciam: Quòd persecutionis tempore cogerentur quidam, non præsente Sacerdote vel Diacono, sua manu communionem accipere: quod, inquit, attestatur & eremitarum longa consuetudo, vbi non adesset Sacerdos, asseruantium domi communionem, & per se ipsos illam sumentium. Quòd Alexandriæ & in Aegypto quiuis etiam laicus vt plurimum haberet domi communionem, & per se sumeret quando vellet.

Quod vbi semel Sacerdos peregit sacrificium, & porre-

xit; is qui accepit, ac si totum simul quotidie sumeret, ab eo sumat, qui dedit; & credere debeat ab eo se accipere. Sacerdos enim, inquit, in Ecclesia tradit particulam, tenet verò eam qui accepit cum facultate; atque ita sua illam manu ori admouet. Perinde igitur est, siue quis vnam à Sacerdote particulam accipiat, siue multas simul.

Cum tantus Doctor ita scribat, euidens est, priscis illis tẽporibus communionem fuisse indifferentem & priuatam quidem domi sub una specie, publicam verò sub vtraque dari consueuisse adultis.

Fabulantur ergo Caluinistæ, Quòd Institutor mandauerit, Vtramque speciem ab omnibus esse sumendam.

Quod sub altera specie communio sit mutila. Quodque talis communio fiat pro libito humani arbitrij. Falsum quippe primum, secundum magis falsum, falsissimum est tertiũ. Neq. enim hoc pendet ab illo; Sic volo, sic iubeo: sed secundum Apostolica instituta Dei Ecclesia seruat, quod rerum, temporum, locorum congruentia postulat.

Decimum Atheismi genus; Vbi, inquit, participauerimus digne, & communicauerimus integre corpus & sanguinem Christi in sacramento, fatemur esse iam nos reconciliatos, capiti nostro vnitos, & συσσώμους.

Pugnat cum Apostoli præcepto 1. Cor. 11. 28. Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat. Exponit Chrysostomus: Probet, idest pura accedat conscientia. Non ergo sumpta communione reconciliatur homo; sed reconciliatus Deo ad communionem debet accedere. Reconciliatur verò eo modo, quem Ecclesia Græcorum cum vniuersa Catholica Ecclesia ab Apostolis didicit, & Concilia, & sancti Orientales, & Euchologia, & quotidianus Græcorum ritus testatur, nimirum per sacramentum Pœnitentiæ. Quod quia Caluinistæ negant, ordinatissimos quoque sacramentorum effectus negant, & pugnant cum Institutore sacramentorum, vt sint non solum Antichristiani, sed etiam Antichristi.

ART I-

ARTICVLVS XVIII.

Credimus defunctorum animas esse vel in beatitudine, vel in damnatione, prout quisque gesserit. Migrantes enim è corporibus, illico vel ad Christum, vel in infernum migrare: Quia qualis vnusquisque in morte inuenitur, talis iudicatur. Post hanc vitam nulla est facultas resipiscentiæ. In hac vita tempus est gratiæ. Ideo qui hic iustificātur, nullam amplius posthac subibunt pœnam. Qui autem non iustificati moriuntur, in pœnas destinantur æternas. Ex quo patet, commentum de Purgatorio non esse admittendum; sed in veritate statuendum, Vnumquemque debere in hoc seculo resipiscere, remissionemque peccatorum per dominum nostrum Iesum Christum impetrare, si saluus esse voluerit.

CENSVRA.

IN huius quoque Articuli blasphemijs Caluinistæ & Cyrillus symphoniam canunt, vt ex eius Anathematismis patet. Et mirum quidem non est, homines alienigenas, fidei desertores tam procaciter deblaterare; at Græcum hominem, Græcorum Patriarcham, qui se non indoctum profitetur, sequi vulgarem sensum idiotarum, & ineptias schismaticorum, & Caluinistarum impietatem, deploranda omnino est infelicitas, & ærumnarum omnium grauissimus cumulus.

Est igitur prima hæresis huius Articuli; Quòd Saluatore
ipso prædicante ac docente Matt. 4. 17. Pœnitetiam agi-
te, appropinquauit enim Regnum cœlorum: Caluinistæ
pœnitentiam in resipiscentiam mutant: quasi verò idem va-
leant, idemque sint. Cum resipiscentia possit esse per sim-
plicem à malo cessationem, & conuersionem in bonam fru-
gem: & non exigat confessionem oris, & satisfactionem
operis: At sacramentum Pœnitentiæ requirat & odium ac
detestationem cõmissorum criminum in corde pœnitentis
cum proposito in posterum abstinendi, & integram erra-
torum confessionem ad pedes Sacerdotis iudicis, & satisfa-
ctionis opera pro grauitate peccatorũ. Quæ omnia Christi
instituto ab Apost. tradita tenuit semper Oriẽtalis Ecclesia.
Ita sanctus Basilius in principio suorum moralium agens
de Pœnitentia, proprietatibus & fructibus eius. Nazian-
zenus oratione in sanctum Baptisma, & passim.
Chrysostomus in exposit. 6. ad Hebræos, & octo de
Pœnitentia sermonibus, vbi aurea sua dicendi copia pœni-
tentiam & partes eius suadet, variosq. & multiplices satisfa-
ctionis modos exponit. Qui propterea etiã à Græcis Pœni-
tẽtiæ præco appellatus est, quia vehemẽtissimo spiritu in-
surgebat zelantissimus Pater contra Nouatianam hæresim id
temporis vigentem Constantinopoli, negãtemq. vsum Con-
fessionis auricularis, quam Ecclesia Catholica cum Euange-
lij prædicatione acceperat. Et præter hæc summa Ecclesiæ
luminaria, extant multi pœnitentiales Canones apud Græ-
cos à Patribus scripti; in quibus & virtus contritionis, &
efficacia confessionis, & varij satisfactionum gradus expres-
sissimè & luculentissimè habentur, quibus instituuntur spi-
rituales Patres ad vsum sacramenti Pœnitentiæ. Caluinistæ
verò pœnitentiam in resipiscentiam mutantes peruertunt
omnia: & suæ temeritatis licentia volunt, Resipiscentiam
in omnibus eiusdem esse rationis: vt per excogitata eorum
fundamenta saluus sit homo resipiscens, pereat non resipi-
scens. Vnde verò habent, ipsam quoque suam resipiscen-
tiam in omnibus eiusdem esse rationis? omnes ne resipiscẽ-
tes eadem vi prudentiæ, eodem studio, eodem virtutis
gradu

gradu resipiscunt? Si eodem omnes, Cur inter sanctos differentia, dicente Apostolo 1. Cor. 15.41. Stella differt à stella in claritate: idest vt Chrysostomus exponit: sancti non sunt æqualiter sancti? Si non eodem omnes, ergo datur maior & minor resipiscẽtiæ gradus. Et qui non omnino perfecte resipiscit, non est illico beatitudine dignus: nec migrare debet in infernum, quia profecto viuens resipuit. Ergo velint, nolint Caluinistæ, per sua etiam falsissima fundamenta cogũtur fateri, ex nõ summo Resipiscentiæ gradu sequi dandum esse medium Purgationis locum. At multò magis elucet hæc veritas in ipso Dogmate veritatis. Si enim peccare est agere contra legem Dei, & proinde apud diuinam bonitatem offendere, necesse est pœnitentem non solum declinare à malo, & bonum facere; sed etiam odium in anteactam vitam concipere, & non peccandi propositum de cætero stabilire: & actũ hunc ita necessario includit pœnitentia, vt nullo tempore sine illo fuerit remissio peccatorum. Ex eo actu sequitur ab instituto Christi iudicialis actus sacerdotum; quibus data potestas remittendi vel retinendi peccata, necessario exigit plenam è confitentium ore notitiam omnium mortalium erratorum, vt ferant iudicium, & satisfactionis opera iniungant; sine quibus offensus non placaretur Deus: quia non reduceretur ad debitam æqualitatem illud, quo Deus offensus est. & hæc omnia tã certa, tam explorata semper fuerunt Orientali Ecclesiæ, vt hæc negare sit omnium sanctorum Orientalium Patrum instituta & doctrinam impudenter reijcere, & sensu carere; Cum Græcorum Confessarij libellos habeant manuscriptos, continentes interrogationum formulas, quibus vti debeant ad examinanda pœnitentium peccata, & iniungendos ijs varios canones, idest satisfactionis pœnas. Quos illi libellos compositos asserunt à Ioanne Ieiunatore Patriarcha Constantinopolitano, siue etiam ab alijs.

Et quia pœnitentes non omnes perfectum habent dolorem de peccatis, non omnes in confessione leuia quoque omnia exponunt, non omnes digna præstant satisfactionis opera; idcirco impossibile est vnum esse omnium statum; & qua-

mè profitetur.

In 7. Synodo, Act. 6. tomo tertio responsionis ad Definitionem Pseudosynodi Iconomachorum ponitur illorum assertio; Quòd panis Eucharistiæ sit imago Christi. cum tamen hæretici statim subiungant, & fateantur; Panem illum sanctificari superueniente Spiritu sancto, & fieri corpus diuinum opera Sacerdotis, transferentis illum panem de communi in sanctum. Catholicorum verò responsio laudat quidem eos de hac posteriori confessione; obiurgat autem vehementissimè, quòd panem consecratum vocassent imaginem Christi; cum sit, inquiunt, ipsum corpus, & ipse sanguis. En Iconomachi transferentem fatentur Sacerdotem. At quid aliud est translatio panis de communi in sacrum, quàm transubstantiatio?

Certum enim & perspectū est, Orientales omnes, etiam hæreticos, omni tempore accepisse verba Christi, Hoc est corpus meum; in propria & litterali sua significatione. Propter quod nemo vnquam ausus est dubitare de vi & efficacia illorum verborum, qua posita necessario sequitur transubstantiatio. Quippe notum omnibus erat, Origenem fuisse antiquitus damnatum a sanctis Patribus, deinde etiam à Synodo 5 quòd Scripturæ verba, vt inquit Basilius magnus Homilia 2. in Hexaemeron, ipse non sequeretur, sed ad id quod vellet Scripturæ sensum detorqueret. Quod etiam repetit sanctus Pater Homilia 3. suppresso nomine reprehendens Origenem, qui prætextu sensus anagogici exponebat verba Scripturæ tropicè & allegoricè. Sed hos exponendi modos inquit Basilius, reijciendos esse vt somnia & fabulas aniles; intelligenda verò esse consideratè verba Scripturæ à sapientibus, non inflectendam eorū veritatem.

Ita Basilius magnus reprehenso Origene, in libro deinde Compendiosarum Definitionum quæstione 102. quærit; Quali timore, quaue certitudine sumenda sint corpus & sanguis Christi. & respondens ait; Timorem quidem docet Apostolus dicens 1. Cor. 11. 29. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Certitudinem verò efficit fides verborum Domini dicentis; Luc. 22. 19. Hoc

Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem.

Et Chrysostomus sermone in proditionem Iudæ, & institutionem mysteriorum: Adest, inquit nunc quoque Christus, qui mensam illam ornauit; cum & ipse nunc etiam hanc ornet. Neque enim homo est, qui facit vt quæ proposita sunt, fiant corpus & sanguis Christi; sed qui crucifixus est pro nobis Christus. figuram implens stat Sacerdos, dum verba illa profert orationis; sed virtus & gratia Dei est. Hoc est inquit; corpus meum; Hoc verbum transmutat proposita. & Hom. 83. in Matt. Nos inquit, ministrorum tenemus locum: Qui verò ea sanctificat, & transformat, ipse est.

In sacra verò liturgia tam Basilius, quam Chrysostomus post peractam consecrationem per verba Christi, subijciunt hæc, tanquam accepta è traditione Apostolica; Sacerdos benedicit dicens; Cum ea trasmutaueris sancto tuo Spiritu.

Hanc ergo certissimam, indubitatissimam, Apostolicam Orientalium de Transubstantiatione fidem audeant negare nuperi Atheologi Caluinistæ, & inuiolabile Dogma Christianorum vocare commentum? Siue enim seriem textus Euangelici spectes, siue propriam vocum significationem, verba Christi; Hoc est corpus meum; non alium admittunt sensum, quàm quod proprijssimè sonant.

Litigabant Iudæi Ioannis 6.53. quomodo caro Christi dari posset ad comedendũ; & intelligebant veram & substantialem comestionem carnis, non metaphoricam per apprehensionem mentis. Propterea enim dixerunt vers. 61. Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? & v. 67. Ex quo multi Discipulorum eius abierunt retro. At verò Dominus, qui ea docebat tantum, quæ poterant ferre homines; & Ioannis 16.12. dicebat Apostolis; Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; respondens Iudæis scandalum passis; non modo eos non liberauit eorum scandalo, sed sensum & opinionem eorum maxime confirmauit asserens; Io. 6.54. Amen, Amen dico vobis, Nisi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem

nem, non habebitis vitam in vobis. Et responsione in hunc modum septies repetita probauit & confirmauit, quod audientes opinabantur. Hoc autem, si fabula Caluinistarum aliquid valeret, nullo modo faciendum erat Sapientiæ Dei, quæ fidem catholicam plantans debebat nudam de tanto mysterio veritatem docere; & non tale scandalum inutiliter præbere, propter quod multi retro abirent.

Nunc verò multum de carne sua sermonem Christus instituit, vt ostenderet Iudæis iuxta expositionem Chrysostomi; Manna olim fuisse vmbram & figuram; quæ verò tradebat ipse, esse veritatem: quod omnino pugnat cum sensu Caluinistarum. Impossibile ergo est, è textus Euangelici serie dici posse, Christi præsentiam in Eucharistia offerri per fidem; sed necessario dicendum est, per transubstantiationem Christum realiter contineri.

Hoc idem fateri cogit vel ipse grammaticæ constructionis modus. Sensus enim tropicus tunc habet locum, quando sunt substantiua nomina duo, vt, Petra autem erat Christus. 1. Cor. 10. 4. Nam iuxta litteræ sensum intelligendum esset, Christum esse petram, idest substantiam insensibilem, idcirco tropicum esse dicimus loquendi modum. cuiusmodi sunt & illa: Luc. 8. Semen est verbum Dei; spinæ sunt diuitiæ, solicitudines, & voluptates: Bona terra sunt, qui verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. At vbi demonstratiuo nomine vtendo dicitur; Matt. 17. 5. Hic est filius meus dilectus: & Io. 21. 24. Hic est discipulus ille, & similia, nullum habet locum tropicus sensus.

Si ergo dictum esset à Domino; Hic panis est corpus meum; esset fortasse aliquis Caluinistarum prætextus. At dicendo; Hoc est corpus meum; & proprius verborum significatus, & Euangelica veritas, & Apostolorum traditio, & constans Catholicæ Ecclesiæ fides, & perpetuus liturgiæ vsus, & vnanimis omnium sanctorum Doctorum cōsensus fateri cogunt, Verba Christi non admittere nisi suum litteralem sensum. Vnde fit, vt vis & efficacia verborum Christi, quam supra citato loco expendit & admiratur Chrysostomus, efficiat quod significat; & significando corpus,

pus,

pus, non panis substantiam, inferat necessariò mutationem substantiæ in substantiam, quod est Transubstantiatio: Vere dignum omnipotentia & maiestate Christi mysterium, ineffabile, & sensui mortalium inexcogitabile.

Sextum Atheismi genus. Credimus, inquiunt, fideles manducare corpus Christi, nō dente materiali terendo, sed animæ sensu percipiendo. Non ita docet Christianorum fides. Et blasphemiam hanc damnat Chrysostomus pluribus locis, euidentissimè verò Homilia 83. in Matt. & 46 in Ioannem. Vt, inquit, non charitate solum, sed re ipsa cum Christi carne commisceamur, per cibum, quem largitus est, hoc assequimur. Idcirco se nobis immiscuit, suumque corpus nobis insperſit, vt vnum quid fiamus, tanquam corpus annexum capiti: Suum quippe ostendens erga nos amorem, non tantum conspiciendum desiderantibus præbuit, sed tangendum etiam & comedendum; & cuius carni dentes etiam infigamus, & intimò amplexu fruamur, & amoris ardori satisfaciamus. Et ne quis ex hoc arriperet opinandi occasionem, Quòd Christi corpus in sacra communione discerpatur & laceretur: Chrysostomus (infra) veritatem Dogmatis exponit in illa Domini verba; Ioan. 6 62. 63. Sciens autem Iesus, quia murmurarent de hoc Discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Spiritus est, qui viuificat; caro non prodest quicquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.

Spiritaliter, inquit Chrysostomus, audienda sunt verba & mysticè; sunt enim spiritus & vita, idest diuina & spiritalia, nihil carnale habentia, seu spectans ad naturalem vsum; sed omni tali necessitate superiora sunt, & leges inferiorum excedunt, alium continentia peregrinum sensum. Sicut ergo spiritum dixit, idest spiritalem sensum; ita per carnem carnalem sensum intelligit. Si quis ergo carnali sensu intelligat, nihil illi prodest. Quid ergo? Caro eius non est caro? imo verò maxime. Cur ergo dixit, Caro non prodest quicquam? Non de sua carne hoc dixit: Absit; sed de intelligentibus verba carnaliter. Quid verò est carnaliter intelligere? superficie tenus videre quæ proposita sunt,

167

& nihil amplius mente concipere ;hoc est, carnaliter. Non sunt autem hoc modo iudicanda quæ proposita sunt, sed omnia mysteria inspicienda sunt oculis internis; hoc enim est spiritaliter. Quomodo enim caro nihil prosit, sine qua viui non potest? Vides illud; Caro non prodest quicquam; non de carne eius, sed de carnali auditione dictum.

Habent ex his Caluinistæ, non esse necesse, quia substantialiter sumitur corpus Christi, vt teratur dentibus, & laceretur. Hoc enim est carnaliter, materialiter, inepté mysterium intelligere.

Rursus quia dentibus non laceratur corpus Christi, non licet inferre, quod substantialiter non subsit, sed animæ tantum sensu percipiatur. Subest enim corpus Christi per modum substantiæ, nó carnalem & sensibilem. Et percipitur sensu animæ vera fide illustratæ præsens Christus sub specie visibili post peractam transubstantiationem.

Sicut enim in cruce lacerabatur corpus Christi, & non lacerabatur diuinitas Christi; ita in Eucharistia laceratur teriturq. dentibus species visibilis sacramenti, sed nihil patitur contenta sub specie res sacramenti.

Patet hoc euidentissime è ritu liturgiæ. Sacerdos enim in fractione specierum pro sumenda communione profert hæc verba:

Secatur in partes, & diuiditur Agnus Dei; qui secatur in partes, & non diuiditur; qui semper comeditur, & nunquam absumitur.

Et hoc quidem est diuinissimi mysterij profundum incomprehensibile. Caluinistæ verò, qui transubstantiationem negant, quo iure sacramentum hoc mirabile vocant? Magna nimirum admirabilitas, vesci pane communi, & mente Christum concipere. Hebræi quoque Christum venturum mente concipiebant, dum manna comederent; quod profecto nobilius pane fuit, & ad sensum Caluinistarum vocandum esset Eucharistia. Quid enim refert, siue futurus, siue iam exhibitus concipiatur Christus, si fides offerens credenti Christum constituit Eucharistiam?

Septimum genus Atheismi: Quod corpus Christi non sit

sit illud ; quod oculis in sacramento se se offert ; sed illud , quod spiritualiter fides apprehendit, nobisque præbet.

Huius erroris impietatem vel ethnicus Philosophus derideret. Docet.li.2.de Anim.tex.65.Sensibile per accidẽs esse, vt si albũ sit Diaris filius; hoc enim per accidens sentit. Cum ergo substantia non sit sensibilis per se,dicitur tamen videri homo , quia videntur eius accidentia per se sensibilia .

Hac proportione vsus Dionysius Areopagita scribebat in libro de Hierarchia Ecclesiastica in capite de Communione: Sed ò diuinissimum sacrumque sacrificium circumiacentia tibi symbolica indumenta ænigmatum reuelans, perspicuè te nobis ostende ; & mentis nostræ oculos vnitiuo & inoperto lumine comple .

Sicut philosophus per accidentia inquit videri hominem; ita sanctus Pater per vestimenta , hoc est accidentia non inhærentia , sed circumiacentia docet videri Christum . Et sub circumiacentibus indumentis latere diuinissimum sacrificium .

Cur ergo impia Caluinistarum ignorantia negat ; Christi corpus esse, quod se oculis offert? cum se oculis offerat medijs circumiacentibus speciebus ?

Ita liturgia Græcorum habet , Christum esse præsentem inuisibiliter . Et ipse dominus , vt Chrysostomus exposuit , sumendam dixit suam carnem spiritaliter; idest inuisibiliter per se , visibiliter per accidens .

Hoc sensu Chrysostomus sermone de Pœnitentia 5. aiebat ; Ne putes esse panem ; ne putes esse vinum ; Non enim vt reliqui cibi in secessum abit: Absit.& Cyrillus Hierosolymit.Catechesi mystagogica 4. dicebat ; specie panis datur tibi corpus, & specie vini sanguis. Etsi enim sensus tibi offert quod vides , noli rem iudicare gustu ; sed fides indubitata te certum faciat, quòd Christi corpus & sanguinem sumas .

Rursus ; Esto certus, quòd apparens panis non est panis, licet videatur gustui,sed corpus Christi . Ita Iudæorum & Caluinistarum communis est error . Voluissent enim Caluinistæ, quod perperam intellexerunt Iudæi . Illi carnaliter intel-

intellexerunt, hi carnaliter sumi vellent: magna quidem Iudæi perfidia, sed longè maiori Caluinistæ.

Octauum Atheismi genus. Si credimus, inquit, manducamus, & participamus; si non credimus, omni fructu destituimur. Hic etiam sub speciosis verbis latet insigne venenum. Volunt Caluinistæ, per fidem non vt prærequisitam, sed vt formalem sumendi Christi rationem haberi, vel non haberi præsentiam Christi.

Sed si hoc modo manducamus, quomodo Iudas, vt inquit Chrysostomus oratione citata in Mysteriorum institutionem; & proditor incredulus erat, & tamen manducauit?

Quod verò fructu destituatur, qui non credit; non infert, per actum fidei sumi Christum; sed quod ibidem ait Chrysostomus, sacrificium esse cibum spiritalem. Sicut ergo cibus, inquit, corporalis si feratur in ventrem malis humoribus scatentem, auget morbum, non natura sua, sed ob ventris prauam habitudinem; ita quoque in mysterijs spiritalibus solet accidere. Nã si inferantur in mentem nequitiæ plenam, multo magis afferunt perniciem; non quia tali naturâ sint, sed propter ægritudinem animæ communicantis. Itaq. fructu destitui nõ credentẽ, haberet verũ sensũ, si Caluinistæ intelligerent, substantialem Christi præsentiam non prodesse homini fidem non habenti. Verum hoc non admittit eorum perfidia: sed non credentem aiunt fructu destitui, quia per ipsos actus credendi est actus comedendi corpus Christi: quæ est satanica hæresis.

Nonum atheismi genus, Quòd institutor sicut de suo corpore, ita de suo sanguine mandauit. Quod mandatum nec lacerari, nec mutilari debet pro libito humani arbitrij: Imo seruari debet institutio, prout nobis tradita est.

Ex Anathematismis infra positis, qui à Cyrillo Patriarcha hodierno sunt olim editi, certum est, hæresim hanc conuenire inter ipsum & Caluinistas.

Primus ergo communis & Cyrilli & Caluinistarum error est: Quòd pro eodem sumunt, sumi corpus Christi & sanguinem, quod mandauit Christus: & sumi sub diuersis speciebus ab omnibus, quod nusquam mandauit Christus, nec

Apo-

Apoſtolus declarauit.

Secundus error eſt: Quòd alterius ſpeciei communionem volunt eſſe lacerationem & mutilationem mandati: quod eſt condemnare omnem antiquitatem.

Tertius error eſt: Quòd piam & ſanctam inſtitutionem cōmunionis publicæ ſub altera ſpecie vocant mutilationem pro libito humani arbitrij.

Hi tres impietatis errores refelluntur tribus antidotis.

Primum eſt: Quia impoſſibile eſt, ſanctos Patres, qui Apoſtolis ſucceſſerunt, ignoraſſe, aut non percepiſſe, quid in Euangelio Dominus ſeruandum præceperit. Sed conſtat ex hiſtorijs: exempli cauſa per id, quod Euſebius narrat libro 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ex epiſtola Dionyſij Alexandrini: moris fuiſſe aſſeruare particulas conſecratas, quæ ægrotis viaticum eſſent: quod etiam ad hanc diem fit apud Græcos; ſeruantur enim per annum integrum particulæ: quas vt moribundi ſumāt, humectari opus eſt aqua, aut vino vel ſumi quouis alio modo. Et morē hūc in exeūtibus è vita ſeruari iuſſit ſancta prima Synodus Nicæna Canone ſuo 13. Ergo impoſſibile eſt Chriſtum mādaſſe vniuerſaliter cōmunionem ſub vtraque ſpecie, & ſanctos Patres aliud egiſſe.

Secundum: Græci ad hanc diem infantibus etiam communionem dant, intingendo tantum labella eorum modiciſſimo ſanguine. Et communionem hanc infantibus ſufficientiſſimam credunt. Numquā ergo fuit hic ſenſus Caluiniſtarum & Cyrilli in Eccleſia, vt à Chriſto præcepta fuerit omnibus communio ſub vtraque ſpecie.

Tertium. Aſſerit Baſilius magnus in epiſtola de Communione ad Patriciam: Quòd perſecutionis tempore cogerentur quidam, non præſente Sacerdote vel Diacono, ſua manu communionem accipere: quod, inquit, atteſtatur & eremitarum longa conſuetudo, vbi non adeſſet Sacerdos, aſſeruantium domi communionem, & per ſe ipſos illam ſumentium. Quòd Alexandriæ & in Aegypto quiuis etiam laicus vt plurimum haberet domi communionem, & per ſe ſumeret quando vellet.

Quod vbi ſemel Sacerdos peregit ſacrificium, & porre-

xit ; is qui accepit, ac si totum simul quotidie sumeret, ab eo sumat, qui dedit; & credere debeat ab eo se accipere. Sacerdos enim, inquit, in Ecclesia tradit particulam, tenet verò eam qui accepit cum facultate; atque ita sua illam manu ori admouet. Perinde igitur est, siue quis vnam à Sacerdote particulam accipiat, siue multas simul.

Cum tantus Doctor ita scribat, euidens est, priscis illis téporibus communionem fuisse indifferentem; & priuatam quidem domi sub una specie, publicam verò sub vtraque dari consueuisse adultis.

Fabulantur ergo Caluinistæ, Quòd Institutor mandauerit, Vtramque speciem ab omnibus esse sumendam.

Quod sub altera specie communio sit mutila. Quodque talis communio fiat pro libito humani arbitrij. Falsum quippe primum, secundum magis falsum, falsissimum est tertiú. Neq. enim hoc pendet ab illo; Sic volo, sic iubeo: sed secundum Apostolica instituta Dei Ecclesia seruat, quod rerum, temporum, locorum congruentia postulat.

Decimum Atheismi genus; Vbi, inquit, participauerimus digne, & communicauerimus integre corpus & sanguinem Christi in sacramento, fatemur esse iam nos reconciliatos, capiti nostro vnitos, & συσσώμους.

Pugnat cum Apostoli præcepto 1. Cor. 11. 28. Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat. Exponit Chrysostomus: Probet, idest pura accedat conscientia. Non ergo sumpta communione reconciliatur homo; sed reconciliatus Deo ad communionem debet accedere. Reconciliatur verò eo modo, quem Ecclesia Græcorum cum vniuersa Catholica Ecclesia ab Apostolis didicit, & Concilia, & sancti Orientales, & Euchologia, & quotidianus Græcorum ritus testatur, nimirum per sacramentum Pœnitentiæ. Quod quia Caluinistæ negant, ordinatissimos quoque sacramentorum effectus negant, & pugnant cum Institutore sacramentorum, vt sint non solum Antichristiani, sed etiam Antichristi.

ARTICVLVS XVIII.

Credimus defunctorum animas esse vel in beatitudine, vel in damnatione, prout quisque gesserit. Migrantes enim è corporibus, illico vel ad Christum, vel in infernum migrare: Quia qualis vnusquisque in morte inuenitur, talis iudicatur. Post hanc vitam nulla est facultas resipiscentiæ. In hac vita tempus est gratiæ. Ideo qui hic iustificātur, nullam amplius posthac subibunt pœnam. Qui autem non iustificati moriuntur, in pœnas destinantur æternas. Ex quo patet, commentum de Purgatorio non esse admittendum; sed in veritate statuendum, Vnumquemque debere in hoc seculo resipiscere, remissionemque peccatorum per dominum nostrum Iesum Christum impetrare, si saluus esse voluerit.

CENSVRA.

IN huius quoque Articuli blasphemijs Caluinistæ & Cyrillus symphoniam canunt, vt ex eius Anathematismis patet. Et mirum quidem non est, homines alienigenas, fidei desertores tam procaciter deblaterare; at Græcum hominem, Græcorum Patriarcham, qui se non indoctum profitetur, sequi vulgarem sensum idiotarum, & ineptias schismaticorum, & Caluinistarum impietatem, deploranda omnino est infelicitas, & ærumnarum omnium grauissimus cumulus.

Est igitur prima hæresis huius Articuli; Quod Saluatore ipso prædicante ac docente Matt. 4. 17. Pœnitetiam agite, appropinquauit enim Regnum cœlorum: Caluinistæ pœnitentiam in resipiscentiam mutant: quasi verò idem valeant, idemque sint. Cum resipiscentia possit esse per simplicem à malo cessationem, & conuersionem in bonam frugem: & non exigat confessionem oris, & satisfactionem operis: At sacramentum Pœnitentiæ requirat & odium ac detestationem comissorum criminum in corde pœnitentis cum proposito in posterum abstinendi, & integram erratorum confessionem ad pedes Sacerdotis iudicis, & satisfactionis opera pro grauitate peccatorũ. Quæ omnia Christi instituto ab Apost. tradita tenuit semper Oriẽtalis Ecclesia.

Ita sanctus Basilius in principio suorum moralium agens de Pœnitentia, proprietatibus & fructibus eius. Nazianzenus oratione in sanctum Baptisma, & passim.

Chrysostomus in exposit. 6. ad Hebræos, & octo de Pœnitentia sermonibus, vbi aurea sua dicendi copia pœnitentiam & partes eius suadet, variosq. & multiplices satisfactionis modos exponit. Qui propterea etiã à Græcis Pœnitẽtiæ præco appellatus est, quia vehemẽtissimo spiritu insurgebat zelantissimus Pater contra Nouatianam hæresim id temporis vigentem Constantinopoli, negãtemq. vsum Confessionis auricularis, quam Ecclesia Catholica cum Euangelij prædicatione acceperat. Et præter hæc summa Ecclesiæ luminaria, extant multi pœnitentiales Canones apud Græcos a Patribus scripti; in quibus & virtus contritionis, & efficacia confessionis, & varij satisfactionum gradus expressissimè & luculentissime habentur, quibus instituuntur spirituales Patres ad vsum sacramenti Pœnitentiæ. Caluinistæ verò pœnitentiam in resipiscentiam mutantes peruertunt omnia: & suæ temeritatis licentia volunt, Resipiscentiam in omnibus eiusdem esse rationis: vt per excogitata eorum fundamenta saluus sit homo resipiscens, pereat non resipiscens. Vnde verò habent, ipsam quoque suam resipiscentiam in omnibus eiusdem esse rationis? omnes ne resipiscẽtes eadem vi prudentiæ, eodem studio, eodem virtutis

gradu

gradu resipiscunt? Si eodem omnes, Cur inter sanctos differentia, dicente Apostolo 1. Cor. 15. 41. Stella differt à stella in claritate: idest vt Chrysostomus exponit: sancti non sunt æqualiter sancti? Si non eodem omnes, ergo datur maior & minor resipiscentiæ gradus. Et qui non omnino perfecte resipiscit, non est illico beatitudine dignus: nec migrare debet in infernum, quia profecto viuens resipuit. Ergo velint, nolint Caluinistæ, per sua etiam falsissima fundamenta cogũtur fateri, ex nõ summo Resipiscentiæ gradu sequi dandum esse medium Purgationis locum. At multò magis elucet hæc veritas in ipso Dogmate veritatis. Si enim peccare est agere contra legem Dei, & proinde apud diuinam bonitatem offendere, necesse est pœnitentem non solum declinare à malo, & bonum facere; sed etiam odium in anteactam vitam concipere, & non peccandi propositum de cætero stabilire: & actũ hunc ita necessario includit pœnitentia, vt nullo tempore sine illo fuerit remissio peccatorum. Ex eo actu sequitur ab instituto Christi iudicialis actus sacerdotum; quibus data potestas remittendi vel retinendi peccata, necessario exigit plenam è confitentium ore notitiam omnium mortalium errratorum, vt ferant iudicium, & satisfactionis opera iniungant; sine quibus offensus non placaretur Deus: quia non reduceretur ad debitam æqualitatem illud, quo Deus offensus est. & hæc omnia tã certa, tam explorata semper fuerunt Orientali Ecclesiæ, vt hæc negare sit omnium sanctorum Orientalium Patrum instituta & doctrinam impudenter reijcere, & sensu carere; Cum Græcorum Confessarij libellos habeant manuscriptos, continentes interrogationum formulas, quibus vti debeant ad examinanda pœnitentium peccata, & iniungendos ijs varios canones, idest satisfactionis pœnas. Quos illi libellos compositos asserunt à Ioanne Ieiunatore Patriarcha Constantinopolitano, siue etiam ab alijs.

Et quia pœnitentes non omnes perfectum habent dolorem de peccatis, non omnes in confessione leuia quoque omnia exponunt, non omnes digna præstant satisfactionis opera; idcirco impossibile est vnum esse omnium statum;

 & qua-

& quamuis ad salutem omnes pertineant qui veram pœnitentiā egerunt, omnes tamen in eodem esse statu salutis. sed fatendum est esse qui nullo reatu impediti statim in cœlum auolent: esse, qui purgatione indigeant, & satisfactionis debito detenti habeant quod iustitiæ Dei soluant. Ex quo sequitur, Caluinistarum doctrinam de simplici resipiscentia esse summā ignorantiā, summā blasphemiā; Euangelio, Concilijs, sanctis Patribus, instituto & ritibus Græcorum omnino contrariam. Satis erit vnum afferre instar omnium, vt testimonium inuictæ veritati dicat. Sanctus Dionysius Areopagita de Ecclesiastica Hierarchia, cap. Mysterij de pie defunctis; Siquis, inquit, hic deiformem egit & sacratissimam vitam, quantum licet homini Deum imitari, erit ille in futuro seculo in diuinis beatisque sedibus. Si verò vita summè deiformi inferiorem duxit, sed vitam tamen sacram, similis illi quoque retributio dabitur.

Et infra. Orat, inquit, Pontifex pro defuncto; rogatque vt diuina bonitas dimittat, quæ ille pro humana fragilitate peccauit; & collocet eum in luce & regione viuorum; in sinu Abraham, Isaac, & Iacob; in loco vnde procul abest dolor, mæror, & gemitus.

Deinde sanctus Pater obijcit sibi; qua ratione fieri possit, vt ad preces Pontificis dimittantur mortuo peccata, cum diuina iustitia reddat pro cuiusque operibus, quæ meretur.

Et respondens ait; Se dicturum, quæ tradita accepit à diuinis magistris. Retribui quidem à diuina iustitia, prout quisque gessit. Diuinam tamen bonitatem paruipendere maculas à pijs hominibus humana fragilitate cōtractas, cum nemo sit mundus à sorde. En non vnum salutis statum. En debitorum in alia vita solutionem. Non mirum, vt diximus, in his errasse Caluinistas: sed Cyrillum deuiare ab Apostolorum doctrina, & omnes omnium sanctorum institutiones proijcere, non Græci, non Sacerdotis, sed impij proditoris, impij & sacrilegi homicidæ animarum scelus & parricidium est.

Quando verò Cyrillus operatur sacris, fingit ne, & tanquam

quam histrionem agit in scena; an serio ad altare stat? Si fingit, plane Christianus non est; sed cum Iuda comparandus, imo habendus & Iuda deterior: Quod enim semel ille vendidit, hic toties proculcat; & se & vniuersam nationem, quantû in se est, Caluinistis vendit. Si non fingit; quæro, pro quibusnam animabus orat in liturgia, in diuinis officijs, in frequentissimis mortuorum commemorationibus, pijs supplicationibus, & eleemosynis quæ fiunt pro defunctis? Quæ omnia traditionis esse Apostolicæ clamat Areopagita, & Chrysostomus passim, testaturque Damascenus in suis Canticis.

Ex his ergo habemus, Resipiscentiam sumi pro pœnitentia contra Euangelicam veritatem.

Habemus, alteram partem status animarum, scilicet ad salutem spectantium, non vnius esse rationis, sed plures habere gradus.

Habemus, falsissimum esse, migrantes è vita vel ad Christum illico migrare, vel in infernum.

Secunda Hæresis; Qui, inquit, iustificatur hic, nullam posthac subibunt pœnam. At sanctus Gregorius Nazianzenus oratione de sacro Baptismate conferens excellentiam gratiæ baptismalis cum reconciliatione per pœnitentiam; Quanta, inquit, lacrymarum vis exæquabit fontem Baptismatis? Quis verò sit fidei-iussor fore, vt finis curationem expectet? nec futurum, vt nos adhuc debitores tribunal iudicantis excipiat, & indigeamus opera ignis? En catholicam Patrum doctrinam. En veritatis tramitem; quòd iustificati hic, si sint adhuc debitores, pœnas subire debeant. Quibus magistris contraria didicerunt Caluinistæ? Nondum, inquit Nazianzenus, persoluto debito quid, si morte præueniamur? & vocemur ad tribunal, & indigeamus opera ignis, non permisso nobis tempore lacrymarum, suspiriorum, incuruationum, humicubationum, vigiliarum, macerationis corporis & animæ, emendationisque per confessionem & abiectum viuendi modum? Et si enim vnusquisque talis iudicatur, qualis in morte inuenitur; non tamen inde sequitur, si iustificatus est inuentus, vt liber etiam ille

ab omni pœna. Agnoſcit enim Nazianzenus pœnitentem iuſtificatum, indigentem tamen ignis opera. Quod ſi verum non eſſet, omnis ritus & officia religionis Græcorum ab incunabilis Chriſtianæ fidei ludus & figmentum eſſent ſcenicum, & viliora iudaicis cæremonijs.

Tertia hæreſis. Commentum, inquiunt, de Purgatorio non eſt admittendum. Egregia Caluiniſtarum cõcluſio Sed omnino verum eſt; Prou. 18.3. Impium, cum venerit in profundum malorum, contemnere. Ergo quod Nazianzenus ait Oratione funebri in Cæſarium fratrem, ſe illi per ſoluiſſe, perſoluturumq. fuiſſe commemorationes anniuerſarias, ſicut hodieq; fit apud Græcos pro fideliũ animabus, vt ſubleuentur, & ſuffragijs viuorum adiuuentur, cõmenta & fabulæ ſunt, & Caluiniſtæ vera dicunt? Quis adeo impius, vt credat? adeo vecors, vt affirmet? Muta fiant labia doloſa, quæ portentoſam loquuntur iniquitatem.

Nullum quippe inter dogmata Catholicæ fidei ſæpius eſt apud Græcos repetitum, frequentius celebratum, & ſtudioſius obſeruatum fide & certitudine ferendi mortuis auxilij per ſacrificia, preces & pia opera; vt liberati à pœnis tranſuolent ad beatitudinem; Quòd ipſiſſimum eſt Dogma Purgatorij. Hoc igitur vocare commentum, eſt totam funditus euertere Græcorum Religionem.

Ita cum xj. Articulos huius impiæ Confeſſionis omaſſet Auctor .xxxv. Hæreticis aſſertionibus hæc ſubiungit.

COmpendioſam iſtam Confeſſionem noſtrã futuram coniecturamus in ſignum conradictionis apud illos, quibus placet nos calumniari, & iniuſtè perſequi. At nos confidimus in domino noſtro Ieſu Chriſto; & ſperamus, quòd cau-

 173

causam suorum fidelium non relinquet; neque virgam malignorum super sortem iustorum. Data in Constantinopoli, in Patriarchatu, mense Martij 1629.

Cyrillus Patriarcha Constantinopolitanus.

SI Cyrillus hodie Patriarcha Constantinopolitanus subscipsit hanc non compendiosam Confessionem, sed dispendiosam infidelitatis profusionem, constituit se infelix nequiorem diabolo. Is enim in agro dominico superseminauit zizania; Cyrillus verò si ita est, bis Diabolus est; etenim ad antiqua schismatis zizania superseminauit noua Caluinismi zizania. Non ergo conijcere, sed pro certo habere debebat fore, vt Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ mercenarium iniquitatis furorem agnosceret. Nec se calumnijs impetendum conqueri, Diabolus enim calumniator non ipse patitur, sed alijs struit calumnias. Nō iniustas persecutiones patitur, qui ad hoc natus videtur, vt miseram nationem diuexet & laceret. Non est, quòd in Domino confidat, Nam via non fauet deuiationi, non veritas falsitati, non vita morti. Non est patronus infidelitatis fidei magister & veritatis. Nec virga & baculus correctionis, sed ignis æternæ damnationis manet impietatis professores.

Si Cyrillus est auctor, manifestet se mundo. Manifestabit verò vel contraria scribendo, vel palam & publice à ficta sui nominis inscriptione se defendendo: tacendo enim magis erit reus, quia & hæc scripsisse, & rursus ea comprobasse videbitur.

Vt verò incertis certi aliquid addatur, quia præsertim supra mentio facta est Anathematismorum Cyrilli, exponendos hic duximus, vt oblatos accepimus ab Orientalibus.

Anno

Anno Domini 1616. In Ecclesia, audiente frequente populo Cyrillus ita pronuntiauit.

Cyrillus miseratione diuina Papa & Patriarcha magnæ vrbis Alexandriæ & iudex orbis terrarum.

Omnibus Tirgouistum incolentibus orthodoxis Christianis, tam Religiosis, quàm secularibus, germanis filijs sanctæ Christi Catholicæ & Apostolicæ Orientalis Ecclesiæ; Qui omnē inanē vocem & additamentū tam hæreticorum, quàm Latinorum; à quibus nostra orthodoxa fides subdole oppugnatur; iure optimo auersantur, & reijciunt propter Euangelicam veritatem: Gratia sit & pax & misericordia ab omnipotente Deo & domino nostro Iesu Christo Saluatore nostro.

NOn parua tempestas exagitauit olim Arcam illam veterem, quando vehementi vndarum agitatione quassata ferebatur super aquas, Catarractis Deo permittente effundentibus impetuosissimos imbres, & ipsis fere qui in Arca erant exitium comminantibus; ita vt inclusis in ea nulla spes esset salutis, si Deus non esset recordatus gubernatoris Noe, & im-

& imminuisset aquas. Figuram haec fuisse arbitror malorum, quibus nunc Arca noua, nimirum Ecclesia nostra vrgetur. Quae nec desitura speramus, ni Deus improbos Catarractas, simplicium animarum corruptores reprimat & amoliatur. Atrox enim contra nos bellum excitarunt, dum magna pace frueretur Ecclesia in hac ciuitate, quam illi turbarunt. Scopus ergo nobis est, tradere vobis armaturam contra illos; ea scilicet, quae hic scribemus. Qua possitis orthodoxiam vestram tutius defendere à conatibus eorum. Et ne scriptum nostrum graue sit idiotis, materna Graecorum lingua & argumentum & sensum nostrum explicabimus in hunc modum.

E seniore Roma venerunt quidam, in ea Latinismum edocti. Et quod grauius est, Graeci, nati & educati in media regione Graeciae; quorũ parentes verè dixerim nullum vnquam vidisse Francorum; profecti Romam, non tantum suam fidem abnegarunt, sed oppugnant etiam vera & orthodoxa Orientalis Ecclesiae Dogmata; quae Christus ipse nobis tradidit, & sacri diuinique Saluatoris discipuli, & sanctorum Patrum Concilia. Quoniam igitur nos hinc di-

scessuri sumus, mandamus charitati vestræ, vt stabiles in vestra Religione & orthodoxia persistatis: & huiusmodi Latinorum dogmatum fautores, vestrarumque conscientiarum corruptores omnino nõ audiatis, sed reijciatis vt hæreticos, vestræq. salutis hostes, quotiescumque contra ea dixerint, quæ hic scribemus; Contraria enim sentire debetis.

RESPONSIO.

VIdeant Christiani omnes, qua rabie vir bonus oblatret: Qui græcum nomen eo redigit, vt per ipsum idem sit esse græcum, & potestatis sancti Petri abnegatorem; esse græci hominis filium, & perniciosissimi schismatis defensorem; esse græca matre natum, & antiquæ Græcorum orthodoxiæ persecutorem. Agebat olim gratias Romanæ Ecclesiæ Corinthiorum Episc. Dionysius, summo Pontifice sancto Sotere; quòd magna liberalitate subsidia mitteret Ecclesijs omnibus, & subleuaret inopiam; & opem ferret ad metalla damnatis pro vetustissimo, inquit, Romanorum more: Quodque Soter Pontifex Christianos Romam euntes pijs sermonibus solaretur. Quas nunc egregiæ sanctitatis Episcopus ageret Romanæ Ecclesiæ gratias, quòd Nationi Græcorum omnium nunc rerum infelicitate laboranti, & omni spe humana destitutæ studiorum demum Romæ erexerit, complures alat adolescentes, spem & solatium Græciæ; liberalibus disciplinis instituat, extructa etiam illis æde pulcherrima, vt ritu patrio Deum colant; & ora maledicentium obstruantur; qui Romam non Græcorum matrem, sed nouercam; non veræ, antiquæ, orthodoxæ Religionis Græcorum propugnatricem, sed oppugnatricem calumniantur? Prodierunt ad hanc diem, ex hoc veræ pietatis lyceo pij doctiq. viri, hoc vnũ dicentes

Euseb. Ecc. hist. 4.

tes

tes,hoc vnũ affirmantes: Opiniones quibus hodie Græcorũ plurimi dissentiunt à Rom. Ecclesia, non premanare è traditione & doctrina Conciliorũ generaliũ, Doctorumq. Orientalium; sed esse fraudes & fallacias Photij & Photianorum. Proinde redeundum esse ad normam antiquitatis. Hæc Cyrillo displicent, vel quia salutis æternæ immemor est; vel quia sanctos Patres non legit, vel si legit parum illis credit. Vtcumq. sit, impiè dixit, Græcos Romæ educatos suã fidem abnegare: quasi schismatis detestatio sit fidei abnegatio. Maior impietas est, quam addidit; Romanæ Ecclesiæ alumnos oppugnare Dogmata à Christo, Apostolis, & Cõcilijs tradita. Quæ sua sunt, Cyrillus tribuit alijs; & meretricis fronte non veretur asserere, quod defendere non potest. Hortatur, & mandat schismaticis, vt schismatici sint. Et qui verbum Dei seminare debebat in populorum cordibus, seminauit in suam illorumque perniciem zizania schismatis. Verè enim zizania, & vanitatis dogmata sunt schismaticorum deliria, nullo veritatis fundamento, nulla sanctorum auctoritate innixa. Id ita esse ex Anathematismis patebit.

CYRILLI ANATHEMATISMVS I.

Qvisquis ore & corde non confitetur; præsertim qui græcus dicitur & filius Orientalis Ecclesiæ; & baptizatus est ritu græco, christianè, quemadmodum nos; Deinde non confitetur, quòd sanctissimus Spiritus procedat ex solo Patre substantialiter & personaliter: Quodque temporaliter ex Patre & Filio. Quisquis non ita confitetur, sed dicit; Spiritum procedere ex Patre & Filio; sit ille extra Ecclesiam nostram, nec habeat communionem nobiscum; & sit Anathema.

RES-

RESPONSIO.

HOc egregio Anathematiſmo feriuntur, ideſt ſagittis paruulorum apparentibus & euanidis vulnerari præ alijs videntur inuictiſſimi propugnatores fidei & veritatis magiſtri, Athanaſius magnus, Baſilius magnus, & Cyrillus Alexandrinus; Qui vt Neſtorio reſponderet huius hæreſeos inuentori, dicebat in 3. Synodo; Spiritum eſſe virtutem Filij, ſicut & Patris; & profundi à Filio, ſicut & à Patre. Filius enim, inquit, vtebatur Spiritu ſancto in efficiendis miraculis, ſicut homo fortis ſua fortitudine vtitur. Perſonam autem diuinam vti perſona diuina tanquam ſua, quia effunditur ab illa; & vnam perſonam eſſe virtutem effuſam ab alia; num poſſit intelligi ſine productione vnius ab alia, videat Cyrillus an poſſit intelligere. Et certo ſciat, ſuum Anathematiſmum non in ſanctos veritatis Doctores, ſed in caput auctoris recidere. quamquam tela emiſſa è manu hominis vires auctoritatis non habente, nulla omnino ſunt.

Secunda huius Anathematiſmi hæreſis eſt in ijs verbis, (Baptizatus ritu græco, Chriſtianè, quemadmodum nos) Videtur enim affirmare, Baptiſmum alio quàm ritu græco collatum non eſſe baptiſmum Chriſtianorum. Et inſanit omnino Cyrillus. Nec meretur hoc dictum, vt vocetur hæreſis, ſed blaſphemiæ vorago. Sanctæ Synodi prima & ſecunda non reijciunt vel hæreticorum baptiſma, quos in ſuis Canonibus enumerant. Quæ noua & inaudita Cyrilli impietas, vt ſolo ritu græco circumſcribat Chriſtianorum baptiſma?

Tertia hæreſis eſt; Quòd fatendam eſſe ait ſolam proceſſionem Spiritus temporalem à Patre & Filio. Nimirum illud inane ſchiſmaticorum perfugium. Temporalis enim miſſio in diuinis ſupponit auctoritatem mittentis in miſſum. mittitur autem Spiritus à Filio, quia per ſanctum Cyrillum virtus eſt Filij. Auctoritas ergo diuinæ perſonæ in perſonam diuinam non poteſt eſſe, niſi producentis in productum. Nugatur itaq. Cyrillus cum principe ſchiſmaticorum

Photio

Photio, cum vaniloquo Gregorio Palama, & cum pertinaci veritatis hoste Marco Ephesio.

ANATHEMATISMVS II.

QVi non confitetur in Sacramento Communionis debere etiam laicos sumere pretiosum & immaculatum corpus & sanguinem: sed aiunt, sumendum esse solum pretiosum corpus, non etiam sanguinem; sit extra Ecclesiam, & Anathema. Insuper qui dicit, In sumptione solius carnis sumi etiam sanguinem, quæ Christus omnino separata dedit, ipsi verò non seruant: esto Anathema.

RESPONSIO.

HIc anathematizat Basilium magnum, qui in epistola de Communione ad Patriciam totum plane oppositum docet, vt supra expositum est in Articulum 17. Quod si Articuli & Anathematismi ab eadem officina prodeunt, Auctor egregie deludit & Græcos & Caluinistas. Quòd enim fatetur vt græcus, cum Caluinistis negat. & siue græcus siue Caluinista pugnat cum Euangelio, cum indifferēti vsu Orientalis Ecclesiæ, cum sacris liturgiæ ritibus, & præsertim præsanctificatorum. Græca enim vera Orientalis Ecclesia, cuius veram fides & ritus nostris vigerent temporibus; hasce Cyrilli ineptias non somniauit. Sacerdos græcus ante actum communionis emittit confessionem illam admirabilem, quod particula illa, quam tenet in vola manus, est Christus filius Dei. Qua ergo fronte Cyrillus

Cyrillus negat in vno indiuiso Christo simul sumi corpus & sanguinem? Quo vero Doctore didicit, quia Christus in diuersis speciebus incruentum instituit sacrificium, ab eodem fuisse quoque institutam Communionem omnibus Christianis sub diuersis speciebus; Cum Basilius magnus testetur oppositum; & perpetuus, vt dictum est, Orientalis Ecclesiæ vsus?

Sed hæc est audacia schismaticorum, audacia filia ignorantiæ; cum & ignorantia sit peruicaciæ fætus: Peruicacia verò sit è malorum institutis magistrorum; qui vt αὐτοκέφαλοι sint, non euoluunt libros generalium Conciliorum, & sanctorum monumenta Doctorum; vt ex ijs hauriant orthodoxæ pietatis fluenta: sed si quas cuiuspiam schismatici scriptoris cœnosas recondunt schedulas, illas ebibunt, illis inhiant; fiuntque tenebrosorum institutorum tenebrosi discipuli: Et quæ semel imbiberunt toxica, nulla vi antidotorum expellere volunt, vt sani fiant.

Scribat Cyrillus, è quibus fontibus, è qua Conciliorum sanctorum ve Patrum auctoritate deriuet huiusmodi Anathematismos. Scripsit & sanctus Cyrillus contra Nestorium Anathematismos. Verum impiè reprehensos & accusatos non semel defendit & tutatus est accerrimè. liberet se vera infamia & recens Cyrillus. Anathematismi eius falsi sunt, schismatici sunt, hæretici sunt, contra Euangelicam veritatem sunt, contra Orientalem Ecclesiam sunt: Orientalem inquam veram & fundatam traditionibus Apostolicis. Qui enim illius Dogmata non sequuntur, etsi Orientales sunt, verè tamen Ecclesia Orientalis non sunt, quamdiu à sensu, dogmatibus, & primæua illius institutione discordes sunt.

AN A-

ANATHEMATISMVS III.

QVi dicit, Dominum nostrum Iesum Christum in mystica cœna habuisse azymum, vt Iudaei, & non panē fermentatum; sit ille procul à nobis; & esto Anathema, vt iudaizans, ac Dogmata Apolinarij & Armeniorum inducens in Ecclesiam. Idcirco sit secundò Anathema.

RESPONSIO.

HIc anathematizat sanctos Patres: Chrysostomū locis
infra citatis, Epiphanium hæresi Ebionitarum, nec non
sanctum Polycarpum Episcopum & martyrem, qui cum om-
nibus Episcopis Asianis, vt narrat Eusebius lib. 5. Historiæ
Ecclesiasticæ, Pascha cum Iudæis celebrabat tempore Azy-
morum, ex traditione Apostolorum Ioannis & Philippi,
ne tempus, inquit, Euangelicum præterirent. Quem deinde
morem rite mutarunt tum antiquis Romanorum Pontifi-
cum cohortationibus & missis ad hoc ad gentibus; tum au-
ctoritate primi Concilij Nicæni, vt se ad consuetudinem
vniuersalis Ecclesiæ conformarent; non verò quòd falso pu-
tarent, Christum tradidisse Pascha tempore Azymorum:
Hoc enim debebat obijcere illis Concilium, & probare.
quòd deciperentur. Nunc autem nihil tale obiecit; sed tantū
eo nomine displicebat Asianorum mos; quia Christiani se-
querentur hebræos, sive constat ex fragmentis 1 Synodi; &
Chrysost. Ser. in Ieiunātes primū Pascha. At Cyrilli Anathe-
matismus Euangelistas quoq. ipsos ferit; qui narrant expres-
sissime, Christū celebrasse Pascha Iudæorū, quo tempore so-
lū azymis vesci licebat. Nec suffragatur Cyrillo illud Ioann.

 cap.

cap. 18. 28. Et ipsi non introierunt in Prætorium, vt manducarent Pascha.

Non enim per verba hæc significat Ioannes, Christum præuenisse Iudæos, vt proinde Sacramentum instituerit fermentato. Sed, vt manducarent, inquit; idest iuxta Chrysostomum, nomine Paschæ intelligendo comestionem Azymorum per septem dies: quasi diceret Ioannes, sed vt inchoatis Azymis vescerentur. Alioquin quomodo Ioannes tradidisset Asianis, vt si vellent imitari Christum, celebrarent cum Iudæis; deinde scripsisset in Euangelio, alio die Christum, alio Iudæos celebrasse? Hæc enim nullo modo cohærent.

Illud porro summa dignum admiratione est, quod schismaticorum peruicacia corrupit etiam Chrysostomi locum. Cum enim sanctus Pater illud Matthæi 26. 57. Duxerunt Iesum ad Caipham: exposuisset his verbis: Cur adduxerunt Iesum eo, vbi omnes congregati erant? Vt omnia fierent ex sententia Pontificum. Erat enim ille tunc Pontifex, & omnes illum expectabant. Ita pernoctabant, & peruigiles ad hoc erant. Non enim tunc, inquit, comederunt Pascha; sed ideo peruigilabant. Erat mane, inquit Ioannes; mox, & ipsi nō introierūt in Prætoriū, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. Quid ergo dicendum? Quòd postridie comederunt, & legē soluerunt ob huius homicidij desideriū. Certè enim Christus nō præterijsset tempus Paschæ, qui ad vesperam illud comedit: sed illi nihil non audentes, & innumeras leges proculcantes: Quia enim vehementi ardebant ira, & experti sæpe inferre illi necem non potuerunt; tunc præter expectationem apprehensum vt patrandæ cædis desiderium explentes è medio tollerent, maluerunt etiam differre Pascha.

Cum in his apertissime Chrysost. accuset Iudæos, illosque asserat distulisse tempus Paschæ, non Christum anteuertisse: Huius tamen oppositum legitur in expositione eiusdem in caput Ioannis 18 in illud: Adducunt Iesum in prætorium, his verbis.

Quid verò est, vt manducarent Pascha? Nam ipse illud
celebrauerat vna azymorum. Vel igitur Pascha vocat to-
tum solemnitatis tempus: vel quia tunc illi celebrabant Pa-
scha, ipse verò pridie illud tradidit; suam cædem reseruans
in Parasceuen; quando & vetus pascha celebrabatur.
En egregiam imposturam.
Hæc enim interpretatio secum omnino pugnantem facit
Chrysostomum. Siquidem in dictum c. Matt. 26. 17. rursus
ait exponens verba illa; Prima autem die azymorum acces-
serunt Discipuli ad Iesum: Primam diem Azymorum vo-
cari diem ante Azyma. Semper enim inquit diem à vespera
numerant. Et illum diem memorari, cuius ad vesperam pa-
scha erat sacrificandũ. Nã feria quinta accesserũt Discipuli;
& hunc diem, ait, significat Matthæus dicens, ante Azyma,
indicans tempus quo accesserunt. Lucas autem hoc pacto;
cap. 22. 7. Venit autem dies Azymorum, in qua necesse
erat occidi Pascha: Per illud, venit, intelligens, Pascha
vicinum esse, ad fores nimirum vesperæ illius indicans tem-
pus; à Vespera enim incipiunt. Idcirco communiter ad-
dunt, Quando occidebatur pascha. Et his similia Chrysosto-
mus dicit & repetit quinquies in Matthæum toto illo cap.
& serm. in Proditionem Iudæ & Pascha, & sermone in Ieiu-
nantes primum Pascha, vbi planissimis verbis sic ait; Quia
Christus idcirco fecit Pascha cum Iudæis, non vt cum illis
& nos faciamus, sed vt post vmbram induceret veritatem.
Quomodo ergo qui toties affirmat, Christum legali tem-
pore legale Pascha celebrasse: Deinde exponendo verba
Ioannis, quem sibi fauere falso putant schismatici, scripserit
quasi fugitiuis vocibus & obiter oppositũ; quod. s. Christus
non seruauerit in celebrando Pascha tempus legale? Hæc
plane non conueniunt. & huius rei non leue testimonium
haberi potest è manuscripto codice Vaticano expositionis
Chrysostomi in Ioannem, num. 547. in quo verba hæc
tantum habentur. Quid verò est, vt manducarent Pascha?
nam ipse illud celebrauerat vna Azymorum. Pascha vocat
totam solemnitatem. & nihil aliud subiungit. ex quo ruit
omne de fermentato commentum. quamuis verissimè &

Azymo & fermentato conficiantur à sacerdotibus sacro-
sancta mysteria. Sed nunc impia Cyrilli redarguitur igno-
rantia, & ineptissimus Anathematismus. Christum enim
fermentato consecrasse, nec Euangelium, nec vllius sancti
Patris auctoritas docuit. Nam quando dixit Chrysostomus
sermone in Proditionem Iudæ, & Mysteriorum institutio-
nem; Vides, impura esse Azyma? quod profana solemnitas?
quod Pascha Iudaicum est nullum, sed solutum est: Quid à
sancto Patre reprehendatur, cæcus est, qui non videt.
Quod si dicat schismaticus; Omnino Azyma comedi à Iu-
dæis, ac proinde fugienda; nihil dicit. Iudæi enim offere-
bant etiam panes fermentatos; vt constat Leuitici cap. 11.
iuxta Septuaginta. eadem ergo ratione fugiendum esset
Christianis & fermentatum. Videat Cyrillus, quam sacri-
lego ore obloquatur; dumque iudaica vocat Azyma, quod
fermentatum quoque velit, nolit, appellet iudaicum. Quod
vero subdit; per Azymi assertionem induci in Ecclesiam
Apolinarij & Armenorum dogmata; magnas ignorantiæ
tenebras præfert. Quod enim per quamdam accomodatio-
nem dixerunt quidam; Apolinarij dogma negantis in Chri-
sto animam rationalem, sed loco mentis Verbum illi fuisse
opinantis; Azymo esse similem, in quo deest panis vltima
perfectio; Cyrillus cum idiotarum & ignorantiæ schola
putat ad celebrationem Azymorum pertinere. Rursus
quod de Armenis ait, ridiculum est. sanctus Proclus egre-
giam scripsit ad Armenos epistolam contra Nestorij bla-
sphemiam; quem sancti Patres passim hæreticum vocant Iu-
daizantem. Quia ergo Nestoriani iudaizabant, & Iudæi
azymis vescuntur, ex eo sacrificium in Azymo vocare dog-
ma Armenorum, quanta vis ignorantiæ? Iudaizabant Ne-
storius & Nestoriani, quia Christum asserunt purum ho-
minem: ergo Azymum est Armenorum Dogma? quid com-
mune, aiunt, cani & balneo? Incertum, in hoc Anathe-
matismo vtrum sit maius; Impietas, an ignorantia. Certè
Quinisexta Græcorum Synodus, quæ nimia temeritate vo-
luit esse magistra Romanæ Ecclesiæ; diligenter expendit
Armenorum errores; & Canone 32. speciatim agit de erro-
re, quo

re quo laborabant in sacrificio Eucharistiæ ; & tamen de Azymo nihil illos reprehendit.

ANATHEMATISMVS Quartus.

QVi dicit, statim vt Christianus obit, eius animam iudicari, & non expectare generale illud iudicium, de quo Dominus in Euangelio: Anathema sit. Præterea qui dicit, dominum nostrum Iesum Christum, cum venerit ad iudicandum, non propter animas venturum, sed ad ferendam de corporibus sententiam; Anathema sit.

RESPONSIO.

HIc anathematizat sanctum Gregorium Nazianzenum, imo & sanctos Patres Quintæ Synodi ; proinde vniuersam quoque Orientalem Ecclesiam. Nazianzenus, vt expositum est in secundam hæresim vltimi Caluinistarum Articuli, clarissimè docet particulare iudicium statim à morte. Et sancta generalis 5. Synodus appobando, quæ Iustinianus Imperator scripsit contra Origenem, declarat, narrationem de Lazaro & Epulone Luc. 16. veram esse historiam. Quomodo ergo Lazarus portatus fuit in sinum Abrahæ, diues autem in infernum, nullo interposito particulari iudicio?

Quando verò Orientalis Ecclesia pro mortuis orat, quod semper facit, vt eorum animæ liberentur è loco pœnarum, & collocentur in loco quietis; intelligit ne id fieri

posse sine particulari iudicio? Si affirmet Cyrillus, insanit. Si neget, sibi aduersatur. & suas voces ignorat. Quid; quod hoc eodem anathematismo ferit Beatissimum Gregorium magnum? qui de particulari & generali iudicio veritatem docet libro Dialogorum 4. cap. 25.

Posthabita Sanctorum doctrina impie sentire malum est. alios falsa docere, peiùs est. at falsa non credentes etiam anathematizare, insanissimi est, plusquam diaboli est.

ANATHEMATISMVS *Quintus*.

QVi dicit, animas Christianorum, qui pœnitentiam in hac vita egerunt, sed satisfactionis opera non persoluerunt, separatas à corpore ire in quemdam purgatorium ignem, vbi sunt flammæ, tormenta, & pœnæ; quod est Gentilium fabula; Anathema sit. Dant enim Christianis peccandi licentiam.

RESPONSIO.

HIc ante alios anathematizantur sancti Doctores, Basilius magnus cap. 15. de Spiritu sancto ad Amphilochium: præter ea quæ è commentarijs eiusdem Basilij in Isaiam exposita sunt in explanatione 5. capituli pro Definitione sacri Concilij Florentini. & sanctus Gregorius Nazianzenus in fine orationis 2. qui ignis probantis & purgantis in alia vita meminerunt. Et cum Chrysostomo sæpissime hortâte vt mortuis feratur auxilium, vniuersa Oriẽtalis Ecclesia, quæ ab Apostolis accepit, vt pro mortuis

quotidie

quotidie oret iuxta sensum & testimonium Dionysij Areo-
pagitæ supra citati in primam hæresim vltimi Caluinista-
rum Articuli.

Quid vocat Cyrillus Gentilium fabulam, purgationem
hæc quamlibet, an purgationem per ignem? Quicquid di-
cat, Ecclesiam Græcorum deridet, in qua se ipse Patriar-
cham œcumenicum venditat. Quid enim aliud Græci can-
ticant, cum ita d cunt.

Deus spirituum & omnis carnis, qui mortem conculca-
sti, & diabolum deuicisti, & mundo vitam donasti: ipse
Domine largire requiem animæ famuli tui defuncti in lo-
co lucido, in loco viriditatis, in loco αἰαψύξεως,
idest è nimio calore refrigerij: vnde abest dolor, tristitia,
& suspirium. Omne peccatum ab eo commissum aut ver-
bo, aut opere, aut cogitatione remitte, vt bonus & ama-
tor hominum.

Dicat Cyrillus, quid significet verbum Refrigerij, &
quæ sequuntur. Si Ecclesia Græcorum à sanctis Patribus
olim instituta tenet gentilium fabulas, dicat palam hoc
ipse Græcis, vt sciant sub quo Patriarcha viuant, inimi-
co, hoste, & proditore Religionis Græcorum. Si hoc
non audet, quid ergo sibi volunt anathematismi falsitatis
& impietatis pleni? vt miseros idiotas deludat, & vi-
deatur habeaturque vulgo defensor græcanicarum opi-
nionum: sed re vera sit corruptor & violator pietatis an-
tiquæ, Religionis veræ, traditionis Apostolicæ? Quo por-
ro fundamento ausus est scribere, Purgatorij Dogma dare
Christianis peccandi licentiam?

Hæc erat querela sanctæ generalis 5. Synodi contra Ori-
genem, qui pœnarum inferni futurum aliquando finem
docebat; proinde segniores homines ad bene agendum
reddebat.

Purgatorium verò ijs, qui purgatorio digni sunt, idest
hominibus pijs, & cum vera pœnitentia decedentibus, non
peccandi licentiam dat, sed timorem inijcit pœnarum.
Cyrillus, & qui negant Purgatorium, licentiam peccandi
dant

dant; quia saluandis omnem peccatorum pœnam in hac vita statuunt.

At quis non videt, non omnibus irrogari pœnas in hac vita dignas erratis? Si ergo & qui plura, & qui pauciora delicta commisit, non dissimiles patiuntur pœnas, fas erit dicere: Peccemus, aliqua enim leui pœna satisfaciemus. Heu Cyrilli stoliditatem in re fidei, heu hominis vanitatem.

ANA-

ANATHEMATISMVS Sextus.

QVi dicit, Papam Romæ esse caput Ecclesiæ, non autem Christum, Anathema sit.

RESPONSIO.

QVid ait Cyrillus? Papam esse caput, non Christum? vt si dicas, Ecclesiæ caput esse Vicarium Episcopi, non Episcopum? Quis adeo desipit, vt ita dicat? :allide loquitur Cyrillus; quasi qui dicit, Papam vt Chri- i Vicarium esse caput, neget Christum esse caput. Non a est: fallitur & fallit Cyrillus.

Proinde hoc infelicis astutiæ Anathematismo damnat anctam generalem Synodum Chalcedonensem, quæ in ua ad sanctum Leonem magnum epistola post acta Synodi vocat, fatetur, & agnoscit caput suum Romanum Ponti- ficem.

Ex quo sequitur, Cyrillum, quia non agnoscit Roma- num Pontificem caput suum, non esse eiusdem fidei cum Patribus Quartæ Synodi. At qui Synodum illam non sequi- tur, catholicus non est, Orthodoxus non est, verè Chri- stianus non est. Videat ergo Cyrillus, quos fructus è suis Anathematismis legat.

EPILOGVS CYRILLI post Anathematiſmos.

Rogo vos Chriſtiani mei per Dominum & animæ veſtræ vtilitatem, cauete vobis à lupis iſtis, quicumque illi ſint. Et Tomum hunc Anathematiſmorum crebro legite in Eccleſia; vt nota ſint vobis capita, in quibus huiuſmodi homines turbas mouebunt. Qui per totam vitam nihil aliud addidicerunt, quam vt nobis orthodoxis Chriſtianis contrarij ſint. Vt rurſus malum & pernicies noſtri generis oriatur è græcis. At nos auditum ab illis auertentes, quantum poſſumus ſtabiles ſimus. Orate verò Deum, ne propter fidem intretis in tentationem. Quòd ſi opus fuerit, valde iucundum eſt, vt pro ſua Religione homo effundat ſanguinem. Tamen non eò vſque rem deuenire permittet Deus. Nihil enim ſunt aduerſarij noſtri, & per Dei gratiam imperiti & cæci. Cauete tamen vobis, & fugite illos. Dominus autem noſter Ieſus Chriſtus ſuum nobis det auxilium, benedictionem, & ſtatum pacificum

cificum

pacificum: & simul mediocritatis nostræ preces faueant vobis omnibus. Amen.

Cyrillus miseratione diuina Papa & Patriarcha magnæ Vrbis Alexandriæ.

POst verba exhortationis non è zelo Dei secundum scientiam, sed è zelotypia schismatis profecta secundum ignorantiam, subscripsit se Cyrillus suis Anathematismis. Subscripserat antea, cum esset Leopoli anno 1596. apud Dominicum Socoouium Archiepiscopum latinum Articulis fidei Catholicæ, eo tempore, quo in Russiam ipse profectus est, vt Ruthenorum cum Romana Ecclesia vnionem interturbaret. Nunc quoque circumfertur Caluiniana Confessio suprà exposita cum subscriptione Cyrilli.

In Anath. subscriptione totus est schismaticus: in altera nescio an totus Catholicus: in tertia fortasse plusquam totus Caluinista. Nos hominem cothurno mutabiliorem dignoscere non possumus. Dicat ipse quid sit, schismaticus, Orthodoxus, an Antichristus. Orbi Christiano iam notum est, quid ipse non sit. Constat enim è fructibus eius, eum non esse sectatorem septem Conciliorum, quæ suscipiuntur à Græcis: non esse sectatorem Athanasij, Basilij, Gregorij Theologi, Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini & ceterorum Orientis luminum.

Notum ergo faciat, qui sit, quos sequatur, quam sectam amplectatur. Et meminerit tremendissimæ illius sententiæ Matt. 18.7. Væ mundo à scandalis. Necesse est enim,

enim, vt veniant ſcandala: Veruntamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit. Et ſi ſcandalum tale ſit, ex quo non vnius hominis; ſed integræ Nationis ſequatur exitium, væ, væ homini illi; melius illi erat, ſi natus non fuiſſet.

